



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn  
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae  
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones  
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

**Lugo, Juan de**

**Lvgdvni, 1666**

Dispvtaio XXVII. De satisfactioe, quæ per Indulgentias applicari solet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

nat, vel sibi satisfactum esse profitetur; mitius vero illo condonante, vel satisfactione ei oblata: pœna enim etiam ad hunc finem ordinatur, ut pars læsa ob iniuriam acceptam, vindictam aliquam ab iniusto lædente accipiat. Non est ergo contra, sed iuxta æquitatem iudicij, si dicamus, idem delictum, parte non satisfacta, vel condonante, grauiorem pœnam sibi taxare de condigno, quam satisfacta, vel condonante parte. Potest ergo contingere, ut ob defectum solutionis differatur pœna defuncti: quia, quando pars læsa non condonat, vel ei non satisfit, pœna delicti præteriti grauior, & diuturnior esse debet: ideoque defuncti non solum restitutionem à filiis, vel hæredibus fieri petunt; sed aliquando etiam à personis offensis veniam, & remissionem petiisse leguntur; eaque obtemperata gratias egisse, quasi ob impedimentum ablatum sua liberationis.

## DISPUTATIO XXVII.

De satisfactione, quæ per Indulgentias applicari solet.

SECT. I. *Quid sit Indulgentia, & ex qua potestate procedat.*

SECT. II. *Quem effectum habeat Indulgentia.*

SECT. III. *De thesauro Ecclesie, qui per Indulgentias dispensatur.*

SECT. IV. *Utrum Indulgentie nunquam, nisi ex thesauro, concedantur; vel è contra, thesaurus, non nisi per Indulgentias dispensetur.*

SECT. V. *An, & quomodo defunctis Indulgentia communicari possint.*

SECT. VI. *De requisitis ex parte illius, qui Indulgentiam lucratur pro seipso.*

SECT. VII. *Nonnulla dubia circa ea, quæ exiguntur ad lucrandam Indulgentiam.*

SECT. VIII. *Quotuplex sit indulgentia; à quo possit concedi; & ex qua causa; & quomodo expiret eius valor.*



ON est animus nunc tractatum de Indulgentiis dare contra Hæreticos; & controuersiam instituere de earum valore: hoc enim pertinet ad Controuersistas, qui id egregie præstiterunt, præsertim Bellarm. 3. *sum. lib. 1. de Indulgent.* & Suarez etiam in *presenti, disp. 49. & sequentibus*, latissime hanc materiam complexus est. Nos breuiter indicabimus fundamenta, & rationes, quæ magis ad Scholasticum pertinent; & ex iis insinuabimus, quomodo ad dubia moralia, practica doctrina de Indulgentiis deriuanda sit.

## SECTIO I.

*Quid sit Indulgentia, & ex qua potestate procedat?*

I.  
Indulgentia  
quid sit.

Indulgentiæ nomine intelligimus remissionem pœnæ temporalis debitæ ob peccata remissa quoad culpam; quæ remissio non fiat virtute Sacramentorum, vel martyri; sed per satisfactionem Christi Domini, & Sanctorum nobis applicatam ab habente potestatem. Esse autem in Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias est de fide definitum in Tridentino *sess. 25. in decreto de*

*Indulg.* & à Leone X. in Bulla contra Lutherum, & à Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla contra propositiones Michaëlis Baij *propof. 60.* Constat etiam ex vsu antiquissimo Pontificum, qui in re adeo graui errasse non creduntur: de quo vsu uideri possunt Bellarm. *loca citata*, & Henrici *lib. 7. de Indulg. c. 3.*

Dubitatur primò, an concessio Indulgentiæ sit actus potestatis Ordinis, iurisdictionis. Respondetur, non esse solius Ordinis: quia simplex Sacerdos à non potest concedere Indulgentias, cum non habeat subditos. Item, non requiritur potestatem Ordinis, ut constat ex vsu Ecclesiæ: solent enim Cardinales non Presbyteri, ex commissione Papæ, concedere Indulgentias; nec apparet ad quid requiratur Ordo, cum hæc non sit actio sacramentalis. Vnde sequitur, procedere à sola potestate iurisdictionis: quia censetur collata Petro per illa verba: *Pasce oues meas*, quibus non Ordo, sed iurisdictionis data fuit in ordine ad subditos, qui per oues appellantur. Ex quo obiter nota, non posse Pontificem Indulgentias Catechumeno concedere, cum non sit eius subditus: quod an de concessione, etiam indirecta, verum sit, constabit ex dicendis.

Dices Indulgentiæ non possunt dari inuitis, & repugnantibus: ergo non sunt actus iurisdictionis: iurisdictionis enim exercetur etiam in inuitum. Respondetur, non omnem actum iurisdictionis exerceri posse in inuitum: nam absolutio sacramentalis est etiam actus iurisdictionis, & non potest inuito conferri. Ratio autem est: quia hæc Indulgentiæ concessio datur, ut passus, quo Pontifex potest pacere Christi oues: passus autem est voluntarius. Hinc etiam sit ipsum Pontificem posse frui Indulgentiis, licet non habeat iurisdictionem coercitiuam supra se: quia, nimirum, potestatem habet pacendi oues Christi, cuius cum ipse etiam sit ouis, potest participare hunc passum, ut membrum huius ouilis, nullam exercendo iurisdictionem coercitiuam supra se, sed utendo potestate Pastoris, quam habet.

Dubitatur secundò, an concessio Indulgentiæ sit absolutio, vel solutio. Potest enim dupliciter intelligi id fieri. Primò, ut Pontifex, tanquam thesauri dispensator, soluat pro aliquo debitore, applicando ex communi thesauro partem ad hunc effectum necessariam. Secundò uero, ita ut non solum hoc faciat; sed etiam ut Index absoluat debitorem. Aliqui dicunt, concessionem Indulgentiæ esse meram solutionem. Durand. in 4. *diff. 20. quest. 3. art. 2.* Sylu. *verb. Indulg. num. 3.* Alij dicunt, esse absolutionem. Caiet. *tom. 1. Opusc. tract. 15. c. 2.* Soto *diff. 21. q. 1. art. 2.* Angel. *verb. Indulg. n. 1.* & alij.

Tertia sententia uerior dicit, respectu uinorum esse solutionem simul, & absolutionem; respectu mortuorum esse meram solutionem. Ita Bellarm. *lib. 1. de Indulg. cap. 5.* Suarez in *presenti, disp. 4. sect. 3. & 4.* Prior pars probatur: quia quando Indulgentia conceditur uiuis, non est mera condonatio pœnæ, cum uerè Pontifex, simul de thesauro exhibeat, quantum sufficit ad compensandum pro illa pœna; sicut, si Princeps debitorem aliquem pecuniæ absoluat à debito, & inbeat è carcere liberari, soluendo simul ex publico ærario totum illud debitum: sic enim facit Pontifex liberando simul à debito pœnæ, & soluendo totum illud pretio dato ex ærario, & thesauro, cuius clauis habet: non est ergo mera absolutio, sed neque est mera solutio. Primò, quia Pontifices frequentissime hanc concessionem uocare solent absolutionem.

solutionem, & remissionem. Secundò, quia etiam homo privatus potest concedere Indulgentias, applicando suas satisfactiones alteri, & soluendo pro illo, quod tamen nemo concedit: quia ille soluit quidem, ut Deus absolvat; non tamen ipse absoluit. Tertio, quia hic actus requirit potestatem in subdito: ergo non est mera solutio, ad hanc enim nulla iurisdictio requiritur. Quarto, quia Pontifex, ut Vicarius Christi, utrumque facit; scilicet, offert pretium ex thesauro pro illo debito; & rursus nomine Dei, cuius Vicarius est, acceptat solutionem illam, & virtute illius liberat debitorem: ad utrumque enim potestatem accepit, nec sufficeret potestas ad primum sine potestate ad secundum: quamvis enim offerret pretium ex Christi satisfactionibus, & Sanctorum; si tamen Deus nollet eam solutionem acceptare, debitor non liberaretur: utrumque ergo facit, soluit, quatenus habet thesauri claves; & absoluit, quatenus est Vicarius Dei, cuius nomine acceptat illam solutionem.

Dices, seipsum non potest absolvere; & tamen ipse lucrari potest Indulgentias: ergo non aliter, quam soluendo pro se. Concedunt aliqui in ordine ad seipsum. Sed melius negatur antecedens: nam, licet iurisdictio cum potestate ligandi non sit ad ipsum; potestas autem mere liberandi alieno nomine non est, cui non possit esse. Itaque Pontifex nomine Christi aperit thesaurum, & offert pretium pro suo debito: rursus idem, ut Vicarius Dei, & eius nomine acceptat solutionem oblatam, & seipsum à debito liberat. Sicut, si aliquis debitor Petri ab eodem procurator constitutus offerat sibi pro debito pecuniam frumentum, v. g. rursus ipse, ut Petri procurator, acceptet solutionem frumenti, & Petri nomine liberet se à debito pecuniarum: tunc soluit debitum, & simul Petri nomine absoluit se, acceptando solutionem illam.

Secunda verò pars, quod attinet ad defunctos, probatur, quia, sicut non accepit potestatem ad eos pasceandos; sed solum oves, quae sunt in hac vita, & in hoc onili, cuius ipse est pastor: ita non accepit potestatem ad eos ligandos, aut absolueandos, solum enim potest absolvere, & ligare super terram: non potest ergo absolvere eos, qui sub terra sunt: quare Indulgentia eis concessa erit solutio, non absolutio: quomodo autem possit solvere pro iis, qui non sunt de suo onili, dicemus inferius *sect. 5.*

## SECTIO II.

## Quem effectum habeat Indulgentia?

Constat ex dictis, effectum Indulgentiae esse remissionem poenae debitae. Circa hoc tamen plura occurrunt dubia. Primum est, an haec remissio sit solum in foro Ecclesiae; an etiam in foro Dei, ut Deus etiam non exigat amplius poenam debitam pro illo peccato. Certum est in primis, posse Ecclesiam remittere poenam illam, etiam in foro Dei: quod de fide esse, docet Suarez *disp. 50. sect. 2. n. 2.* Aliqui tamen antiqui dixerunt, de facto per Indulgentias non relaxari poenam in foro Dei; sed solum obligationem implendi poenitentiam iniunctam. Communis tamen, & certa Doctorum sententia est, relaxari etiam ipsi debitorum poenae coram Deo. Quia, cum non desit potestas, & verba hoc significant; non debent aliter explicari, maxime in sensu absurdo: esset enim absurdum, relaxari solum debitum implendi poenitentiam, relinquendo debitum poenae, cum

esset utilis poenitenti implere poenitentiam ad redimendam poenam: quod videtur esse contra Tridentinum *sess. 15. decreto de indulgentiis*, ubi definitur, in Indulgentiarum usum populo Christiano esse maxime salutarem. Quia, nimirum, obligatio illa auferretur per subtractionem materiae, seu soluendo pro debita poena: qua solutione posita, homo manet liber ab illo debito, etiam coram Deo. Alioquin, si à sola obligatione implendi poenitentiam liberaretur, frustra requireretur thesaurus Ecclesiae, ex quo Indulgentiae concederentur: nam ad tollendam obligationem praecipi, non quidem thesaurus, sed potestas requiritur. Denique, nec fortasse potest Pontifex, solum extra Sacramentum Poenitentiae, relaxare obligationem implendi poenitentiam directe: quia in illo foro Confessarius est Iudex supremus, cuius sententia renocari non potest ab ullo homine, nisi ab aequali in eodem foro: potest ergo Pontifex solum indirecte relaxare illam obligationem, soluendo pro illo debito poenae, quo ablato, cessat obligatio poenitentis satisfaciendi pro illo debito, quod iam est plene solutum pretio sibi ex Ecclesiae thesauro dato.

Secundò dubitatur, an de facto, per Indulgentias, quae sunt in usu, remittatur poena solum correspondens poenitentis à Confessario iniunctis; an etiam poena correspondens aliis peccatis, pro quibus poenitentia iniuncta non est. In quo puncto est prima opinio multorum, qui dicunt, solum remitti poenam, pro qua poenitentia iniuncta fuit. Ita docet Caiet. *Opusc. de Indulg. ad l. c. 2. & 7.* Petrus de Soto *lect. 2.* Durand. Palud. & Adrian. apud Suarez *disp. 50. sect. 3. n. 2.* Fundamentum principum desumitur ex verbis illis apponi consuetis in eiusmodi Indulgentiis, scilicet, *ex poenitentis iniunctis*: quae verba, licet hodie non semper apponantur, retinetur tamen sensus, dum Pontifex concedit tot annos, vel tot quadragenas, vel tot dies Indulgentiae, qui dies, vel anni correspondent illis, qui iuxta antiquos Canones poenitentiales imponebantur, & taxabantur ad poenitentiam agendam. Unde infert Caiet. idem esse dicendum, etiam si concedatur Indulgentia plenaria: quia semper intelligitur in eadem materia, scilicet, totius poenae correspondens poenitentis iniunctis. Unde rursus infert, quod ex Indulgentia plus commodi accipit ille, cui grauiora poenitentiae imposita erant à Confessario, quam si leniores fuissent imposita: quare deberet prius petere, grauioribus poenitentias sibi imponi, ut postea per Indulgentiam à grauioribus poena illis correspondente liberaretur.

Secunda sententia docet, Indulgentiae effectum de facto ad utramque poenam extendi, nec limitari ad poenitentias iniunctas; quam tenent plures, quos refert, & sequitur Suarez *dicta sect. 5. n. 14.* qui vult, id locum habere, etiam si expresse apponantur verba illa, *de poenitentis iniunctis*: quia haec non sunt restrictiva, sed ampliatiua, ut sensus sit, *etiam de poenitentis iniunctis*: quia difficultus est liberare à poena illis poenitentis correspondente: tunc, quia facilius est remittere poenam ante sententiam laicam, quam post illam, tunc etiam, quia facilius soluitur vnum vinculum, quam duplex, quale est iam ex debito poenae, & ex praecipto Confessarii. Denique, quia probabile est, quod ille, cui pro aliquibus peccatis poenitentia imposita est, si ante illam impletam satisfaciatur ex opere operantis, illa satisfactio prius extinguit debitum poenae pro aliis peccatis, quam pro illis, pro quibus facilius iam potest satisfacere ex opere operato per poenitentiam sacramentalem.

8.  
An solum sit  
pro poenitentis  
iniunctis.

9.

lem sibi impositam : ergo idem credi debet de Indulgentia, hanc prius, & facilius extinguere debitum pro aliis peccatis, quam pro illis, pro quibus iam est satisfactio sacramentalis imposita, à quo debito facilius iam poterit homo se ex opere operato, liberare. Illa ergo verba debent intelligi in sensu ampliativo, nec excludunt remissionem alterius pœnæ : quia beneficium Principis largissime interpretandum est quando non est in alicuius nomenclatum.

10. Tertia sententia media docet, quando adduntur verba illa, *de iniunctis pœnitentiis*, veram esse primam sententiam : quando Indulgentia absolute conceditur sine illis verbis, locum habere secundam sententiam. Hanc tenent Navarrus, Dominicus Soto, Ledesma, Corduba, apud Suar. *num. 3.* & ita effectum Indulgentiæ declarasse dicitur Pius V. priusquam interrogatus, ut quando absolute pronuntiantur, extendantur etiam ad pœnitentias non iniunctas, ut refert Bellarm. *lib. 1. de Indulg. cap. 7.* Unde, sicut Calet. consulebat, ut pœnitens procuraret, sibi prius imponi gravissimas pœnitentias, à quibus postea per Indulgentias liberaretur : ita in hac sententia consulunt eius Auctores quando Indulgentiæ sunt de iniunctis pœnitentiis ; quia tunc quò graviore pœnitentiæ impositæ fuerint, eò maius pœnæ debitum per Indulgentias solvetur. Et quidem hæc sententia cum aliqua limitatione mihi etiam placet.

11. Pro cuius explicatione aduerto, olim Indulgentiarum usum magna ex parte fuisse introductum propter gravissimas pœnitentias, quæ iuxta Canones pœnitentiales pœnitentibus imponebantur, quæ videri possunt in Sacerdotali Romano antiquo, ubi ex Guillelmo Durando latè referuntur pœnitentiæ singulis peccatis imponendæ ; quæ olim à fidelibus magno ferore observabantur : postea verò, deficiente ferore, cœperunt paulatim Pontifices concedere Indulgentias de iniunctis pœnitentiis, remittendo vel annos, vel quadragenas, vel dies aliquot ex illis, qui pro pœnitentiâ iniungebantur. Unde negari non potest, quòd intentio concedentis esset minuere, vel moderari onus pœnitentibus iniunctum, quod propter suam fragilitatem ferre non poterant : quare illæ Indulgentiæ ad illas solùm pœnitentias referri videbantur. Cum ergo hic esset finis concessionis, non est, cur dicamus, per illam remitti potuisse pœnam aliam, quæ sub illa intentione non comprehendebatur. Quamvis enim ex parte sua facilius posset auferri pœna aliunde debita, ut contendit Suarez, non tamen erat tanta necessitas illam auferendi, nec attendebatur solum ad liberandum pœnitentem à reatu pœnæ, sed etiam ad liberandum illum ab obligatione gravissima implendi illas pœnitentias, quas ob defectum feroris difficile erat implenturus, cum maiori periculo peccandi contra præceptum Confessarij. Nec in hoc casu locum habet regula, ut cui conceditur plùs, concessum intelligitur minus ; sicut, si aliquis dispensetur in voto castitatis propter maius violationis periculum, non idè censetur dispensatus in voto ieiunandi, quod leuius est. Regula enim illa intelligi debet, quando minus est annexum, vel inclusum in maiori ; quod conceditur, ut dispensatus ad Sacerdotium, intelligitur dispensatus ad omnes Ordines inferiores, ut notat Thom. Sanch. *lib. 8. de matrim. disput. 1. num. 2. c.* Unde non videt exemplum, quod affert Suarez, *sect. 3. num. 14.* de facultate absolventi à reservatis, in qua includitur facultas absolventi à non reservatis ; hæc enim facultas necessaria est ad illam aliam, cum non possit absolvi

12.

pœnitens à reservato, quin absoluitur etiam à non reservato. In nostro autem casu nulla est conuexio inter liberationem à voto debito, & liberationem ab alio. Aliunde verò non procedit eadem ratio concessionis, cum finis fuerit diversus, scilicet, liberare ab obligatione contracta circa vnum, & non circa aliud, à qua obligatione non poterat, et *suprà* dixi, liberare Pontifex directè, sed indirectè, remittendo pœnam, ob cuius debitum impositum fuerat à Confessario præceptum exhibendi talem pœnitentiam.

13. Viget Suarez *ibi n. 15* quia vel illa remissio intelligitur de pœnitentiis non impletis, vel de omnibus. Si dicas primum, ergo melioris conditionis est, qui negligens fuit in pœnitentiis impletis. Si dicas secundum, ergo vel nihil remittitur, cum iam fuerit satisfactum per pœnitentiam, vel debet remitti pœna æqualis aliunde debita pro aliis peccatis, quod est iuxta contrariam sententiam. Respondetur, intelligi de reatu pœnæ rólante ob peccata, pro quibus pœnitentiæ impositæ sunt, & illæ non sunt impletæ, siue per oblivionem, siue per negligentiam, siue quia tempus nonnum præterierat, quo impleri potuisset. Nec nonum est, quòd eiusmodi concessionis miris proficit diligentioribus : nam, quando per Inhibitionem conceditur facultas commutandi vota ; ille, qui vota sua impleverat, nihil lucrì habet ex illo favore ; ille autem, qui non impleverat ob negligentiam, vel aliam causam, fruatur illa facultate, imò propter eiusmodi personarum minus diligentes siue eiusmodi concessionem, ut liberentur à periculo, quod ob fragilitatem, vel negligentiam suam possunt incurtere.

14. Hinc rursus infero, etiam nunc, quando Indulgentiæ conceduntur cum eadem clausula, *de pœnitentiis iniunctis*, intelligi in eodem sensu : quia eadem verba usurpari videntur in suo sensu, in quo prius usurpabantur. Nec obstat, quòd nunc non soleant iam illæ pœnitentiæ, iuxta antiquos Canones, imponi : atque adeò vanæ, & inutiles videantur illæ Indulgentiæ.

15. Respondetur enim, adhuc hodie viles esse, & habere posse summum effectum : admitti enim potest in favorem secundæ sententiæ, verba illa non adstringi ad pœnitentias solùm reipà à Confessario iniunctas ; sed extendi posse ad pœnitentias, quas, per se loquendo, debuisset imponere, & quæ iam per Canones impositæ sunt, licet per accidens ob impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis Confessarius noluerit ad eas obligare : nam aliquo modo iam illæ pœnitentiæ sunt iniunctæ, scilicet ab homine, vel saltem à iure. Quare, qui eas à Confessario per accidens non accepit sub obligatione, poterit adhuc per Indulgentias liberari ab illo onere radicali, & debito, quod ex lege habebat subeundi illam obligationem ; & hoc iuxta mensuram correspondentem Canonibus antiquis. Liberabitur etiam à pœnitentiis de facto iniunctis iuxta numerum dierum, v. g. ad quorum pœnitentiam de facto fuit obligatus à Confessario : ut, si accepit pœnitentiam ieiunandi, vel recitandi septem diebus liberabitur ab hoc onere per Indulgentiam septem dierum. Nam Canones antiqui statuentes pœnitentiam centum dierum, v. g. pro aliquo peccato, non ita determinabant modum pœnitentiæ illis diebus peragenda, ut non relinquere hoc magna ex parte arbitrio Confessarij : in præcircumstantias presentes indicantur ; ut notat sæpius in eodem sacerdotali Romano. Quare, si nunc Confessarius imponit recitationem Coronæ per centum dies ; illa reputari potest pœnitentia

11. Indulgentiarum usus cur olim introductus

sentia centum dierum, etiam iuxta antiquos Canones, & illa poterit auferri per Indulgentiam centum dierum.

15. Dices: si reuera iam hodie non imponitur obligatio ad illas graues poenitentias, consequens est, vt iam hodie non sit maior ratio liberandi ab illis, quam ab aliis poenis debitis ob alia peccata; atque ideo non debet limitari concessio ad illas, cum ex se æque, vel magis facilis sit condonatio aliarum. Respondetur ex dictis, licet hodie cesset per accidens, & ex parte ratio illa: non tamen cessare per se, & in totum: nam, per se loquendo, vt diximus, adhuc deberent obligari poenitentes ad illas poenitentias, nisi per accidens Confessarij excusarentur propter fragilitatem nostram, & prudentem timorem reddendi confessionem odiosam: quare deserunt illas Indulgentias ad excusandos directè, & per se eos, qui per accidens solum excusarentur. Deinde manet etiam ex parte adhuc illa ratio: quia, licet non imponantur illæ antiquæ poenitentia: imponuntur tamen communiter grauiorcs poenitentia: pro peccatis grauioribus, & pro illis viles sunt Indulgentia: de poenitentia: iniunctis: quia contingit etiam nunc imponi poenitentiam plurium dierum, & ad annos etiam pro aliquibus grauioribus peccatis. Adde, etiam nunc poenitentias omnes, quæ poenitentem grauant, & de quibus periculum est, ne implentur, esse, quæ pro peccatis mortalibus imponuntur, nam pro venialibus leuissimæ sunt: cum autem omnia peccata mortalia, per se loquendo, clauibus subiciantur, & pro illis imponatur poenitentia, & pro omnibus essent poenitentia: præscriptæ in antiquis Canonibus; idem est concedere Indulgentiam de poenitentia: iniunctis, ac concedere Indulgentiam de poenis quæ pro mortalibus remissis debentur. Quare, cum Indulgentia: potissimum introductæ sint ad subleuandos eos, qui peccatorum pondere grauari, parum poenitentia:, & satisfactionis exhibebant; debuerunt potissimum introduci ad subleuandum hominem à poena debita ob peccata mortalia, à quibus magis grauari poterat, & ideo addebat in illa clausula, de poenitentia: iniunctis, vt remedium applicaretur maiori necessitati, scilicet poenæ debita: pro mortalibus: licet etiam extendi possint ad poenas pro venialibus debitas, pro quibus etiam poenitentia: impositæ sint; præsertim cum dixerimus supra, posse obligari hominem sub peccato mortali ad poenitentiam grauem impositam pro venialibus. Merito ergo moderni etiam Pontifices verba illa retinuerunt: & Paulus III. illa etiam clausula vsus est concedendo septem annos, & toridem quadragenas de iniunctis poenitentia: iis, qui Ecclesias, & alia pia loca nostræ Societatis in diebus Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Corporis Christi, diebus Veneris, & Dominicis totius anni, ac quadragesimalibus visitauerint, & ibi semel *Pater, & Aue* recitauerint; & verbum Dei, si in illis prædicetur, deuotè audierint, vt constat ex eius Bulla, quæ habetur in nostro Bullario.

17. Cæterum, licet hæc ita sint, & verba illa, de iniunctis poenitentia:, non sint otiosa; adhuc cum secunda sententia dicendum videtur, quando ea verba non adduntur, concessionem esse vniuersalem, & indifferentem ad poenam etiam pro aliis peccatis debitam: quia, cum potestas in concedente non desit, & verba concessionem non limitent; non est, cur nos eam limitemus. Ad quod affertur possunt argumenta alia. Primum ex Bonifacio VIII. in *Extrauag. Anisquorum, de poenis, & remissis*, in qua plenariam Indulgentiam concedit

P. Ioan. de Lugo de Poenitentia.

visitantibus illo anno quindecim diebus Basilicam Petri, & Pauli: quam Indulgentiam adeo vniuersalem intellexit, vt dixerit, se intelligere cum omni vniuersalitate possibili: modo ægrè tulit, quod Confessarij eo anno poenitentias iniungerent lucratibus illud Iubilæum, vt refert Glossa, ibi, cuius Auctor dicit, se id à Pontifice audisse: & videri potest etiam Palud. in 4. distinct. 20 q. 4.

18. Secundò probari potest ex alia forma concedendi Indulgentias verbis generalissimis, quantum clauis se extendunt; quam Caiet. negare non potuit, sed conatur explicare. Re tamen vera, si potestas semel conceditur, verba illa ad omnem poenam, in quantum fieri potest, se extendunt. Tertio, quia de facto conceduntur aliquæ Indulgentia: non imponentes vilo modo confessionem eorum peccatorum, pro quibus conceduntur. Talis est illa, qua Leo X. concessit Minoribus, vt recitantes diuinum Officium per librum, consequantur remissionem dimidiæ partis peccatorum commissorum illa die: quod intelligi debet de peccatis commissis vsque ad tempus illud, quo Officium recitantes, Indulgentiam consequuntur: non potuerunt autem prius accipere à Confessarij poenitentiam pro omnibus illis peccatis futuris; & similes alia Indulgentia: plures inueniuntur, quæ confessionem non poterant supponere.

Argumenta, quæ Caiet. affert pro se, solum probant, aliquando concedi Indulgentias de iniunctis poenitentia:, quod nos concedimus; sed non ideo debet in omni concessione subintelligi alia clausula. Vrget contra hoc: quia consentaneum rationi est, vt Index Ecclesiasticus non iudicet, nisi de delatis ad suum iudicium, & non remittat poenas, nisi peccatorum, quæ ad iudicium confessionis delatae sunt. Ad hoc tamen bene respondet Suarez *sect. 5. num. 13.* forum sacramentale distinguit omnino à foro Indulgentiarum, in quo Pontifex nullo modo procedit ex actis in illo alio foro confessionis.

19. Obiicit deinde ex cap. *cum ex eo, de poenis, & remissis*, vbi permittitur Episcopis, quòd in certis casibus possint, de iniunctis poenitentia:, quadraginta dierum Indulgentiam concedere: & addit Pontifex, quòd ipsi Summi Pontifices, qui plenitudinem potestatis habent, eiusmodi moderationem seruare consueverint: ergo Pontifex non solet, nisi de iniunctis poenitentia: Indulgentias concedere. Pater Suarez n. 20. respondet consequenter ad suam sententiam, per illa verba non fuisse limitatam facultatem Episcopis ad solas poenitentias iniunctas; sed potius ampliatam, vt possint concedere illum numerum etiam de iniunctis poenitentia:. Quòd probat, quia alioquin dicendum esset, solum coarctatam fuisse Episcopis facultatem concedendi Indulgentias quadraginta solum dierum, quoad poenitentias iniunctas, quoad alias verò poenas relictam illis potestatem, quam habebant.

Cæterum hæc instantia parum vrget: nam, si textus ille attentè legatur, reducit totam facultatem antiquam Episcoporum ad mensuram, & modum ibi designatum: neque etiam ex illis verbis colligere poterit Caiet. quòd Episcopi non possint, nisi de iniunctis poenitentia: Indulgentias concedere; tres enim casus ibi distinguuntur, in quibus Episcopus possit Indulgentias concedere. Primus est, quando dedicat Basilicam aliquam: & tunc sine vlla restrictione ad iniunctas poenitentias dicitur, quòd possit concedere Indulgentiam vnus solum anni. Secundus casus est, pro anniuersario eius Dedicacionis festo: & tunc dicitur, posse concedere quadraginta dies de iniunctis poenitentia:. Tertio denique dicitur, in aliis casibus, in quibus aliquoties

BB b solent

Tres casus in quibus Episcopus potest concedere Indulgentias.

solent concedere Indulgentias, non debere excedere illam quadraginta dierum numerum: nihil tamen dicitur de pœnitentiis iniunctis. Denique additur, Romanum Pontificem hanc moderationem obseruare consueuisse: ex quibus non habetur, quod Episcopus non possit, nisi de iniunctis pœnitentiis, Indulgentias concedere. licet in illo peculiari casu de anniuersario festo Dedicacionis illa moderatio adhibeatur.

20. Quamvis autem ex vi illorum verborum non videatur colligi limitatio Episcopi ad Indulgentiam de solis pœnitentiis; aliunde tamen probabile mihi est, habere illam limitationem: quia formula illa concedendi annum, dies, quadragenas, videtur introducta à principio ad remissionem tantæ, vel tantæ pœnitentiæ iniunctæ: cum verba illa non possint significare annos, vel dies Purgatorij; sed pœnitentiæ Canonibus statutæ: quare illa remissio videtur directè terminari ad tantam pœnitentiæ iniunctam, siue ab Episcopo, siue à Summo etiam Pontifice usurpetur. Quare, cum Episcopis solum permittatur in illis casibus concedere annum, vel quadraginta dies Indulgentiæ, videtur esse in ordine ad tempus pœnitentiæ iniunctæ, prout olim communiter concedebatur: nec necesse est, quod Episcopus in confessione id exprimat, si verba ipsa ex se id significant. Ex hoc tamen non fit, quod Summus Pontifex non concedat vnquam, nisi de pœnitentiis iniunctis, sicut, neque ex limitatione illa sequitur, quod Pontifex non soleat vnquam Indulgentiam plenariam concedere; sed solum quadraginta dierum, vel vnius anni. Dicitur ergo, quod Romanus Pontifex illam moderationem solebat usurpare: quia tunc non nisi rarè aliter, quàm illa communi formula, & moderatione solebat concedere.

*An, qui lucratur Indulgentiam, maneat in conscientia liber ab implenda pœnitentiæ sibi imposta?*

21. EX hæcenus dictis sequi hoc videtur: si enim Indulgentia liberat à reatu pœnæ debitæ, pro quo debito fuerat imposta satisfactio sacramentalis; consequens est, vt cessante illo debito, cessare etiam debeat obligatio ad satisfactionem: idè enim diximus, Pontificem liberare posse indirectè ab obligatione ad pœnitentiæ, quatenus per Indulgentias tollit materiam, in qua fundabatur illa obligatio. P. Suar. *suprà*, disp. 38, sect. 10. n. 10. dicit, hodie rarè, vel nunquam licere omittere pœnitentiæ iniunctam propter Indulgentiam susceptam; quia, cum adè exiguæ pœnitentiæ imponantur, vix sufficiunt per modum medicinæ: quare, licet cesset necessitas satisfactionis; non cessat necessitas medicinæ sub qua etiam ratione imposta sunt. Quam sententiam multi Recentiores sequuti sunt.

22. Communis tamen sententia, (si fallor,) antiquorum, & Recentiorum simpliciter, & vniuersaliter affirmat, liberari pœnitentem ab obligatione implendi pœnitentiæ. Quam videtur expressè docere S. Thom. in 4. *distinct* 20. *quest.* 1. *artic.* 3. *questiunc.* 1. vbi solum dicit, esse de consilio, pœnitentiæ implere, quando quis lucratur Indulgentiam. Eodem modo loquitur Nauarrus §. in *Lemico*, notab. 21. num. 43. & 44. Sylu. *verb. Indulgentia*, num. 23. Angelus *ibi*, num. 1. in *fine*. Armilla *ibi*, num. 12. & 17. Et quidem Theologi generaliter, & absque vlla distinctione dicunt per Indulgentias tolli obligationem implendi pœnitentiæ. Videatur Viguer. *cap.* 16. §. *vers.* 2. r. Alex.

Alens. 4. p. 9. 2. *membr.* 1. *art.* 1. Bonen. in 4. *dist.* 20. *art.* 1. q. 2. Argët. *ibi*. q. *unic.* *art.* 4. Richard. *art.* 1. *quest.* 1. Durand. *quest.* 4. n. 9. Palatinus *disp.* 3. *pag.* 432. *col.* 2. Palud. *quest.* 4. Adrian. *quest.* de *Indul.* §. *de mar.* *Indulgent.* Valent. *lib.* de *Indulgent.* cap. 2. & 6. Valquez. *quest.* 94. *art.* 2. *dob.* 3. num. 1. Coninch. in *presenti*, *disp.* 12. *dob.* 3. in *fine*, & ceteri communititer.

Probatur primò ex illo, *cap. cum ex eo in fine de pœnit. & remiss.* vbi Innocent. III. dicit, per in. *tauer.* discretas, & superfluas Indulgentias satisfactiones sacramentales enervari. Ergo idè, quia auferuntur obligatio implendi pœnitentiæ; alioquin, si manet obligatio implendi illas, saltem ratione medicinæ, nihil prorsus enervabitur satisfactio. Secundò probatur hoc ipsum clarè ex Bonifacio VIII qui, vt refert Glossa in *prædicta Extravaganti, Antiquitate, de pœnit. & remiss.* nolebat, Confessarios imponere aliquam pœnitentiæ iis, qui Iubilæum anni sancti lucrabantur: quia, nimirum, satisfactio alia non indigebat. Tertio denique à priori ratio est, quia Confessarius imponit pœnitentiæ, vel pœnam, ad satisfaciendum pro peccato: ergo sublato debito totius pœnæ, prout fit per Indulgentiam, cessat omninò fundamentum illius obligationis: sicut, si condonaretur à Principe pœna debita pro aliquo crimine, eo ipso cessaret obligatio imposta per sententiam Iudicis ad pœnam aliquam pro illo delicto subeundam.

Dicunt, pœnitentiæ non solum imponi ad satisfaciendum; sed etiam in medicinam, & remedium ad præueniendum in futurum, vt colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. Ergo, etiamsi cesseret per Indulgentiam obligatio satisfaciendi pro peccato, potest obligare pœnitentiæ, quatenus imposta fuit, vt medicina. Respondetur, imponi quidem frequenter etiam vt medicinam: Confessarius tamen non potest obligare, nisi quatenus illam imponit in pœnam peccati. Sicut, licet Index debeat procurare, quod pœna delinquentis sit talis, vt simul sit medicina in futurum; non tamen potest imponere illam pœnam, nec verberare eum, si pœna fuisset à Principe condonata. Sic Sacerdos, qui simul est Medicus, & Index, potest punire peccata imponendo pœnam pro illis; quia Medicus est, debet simul curare, quod sit talis, vt sit etiam remedium, & medicina in futurum. Ceterum, si pœna totaliter condonetur, non potest obligare ad medicinam: quia Medicus, vt Medicus, non obligat, sed consultat. Quod semper intelligitur de medicina non simpliciter necessaria ad vitanda peccata futura: posset enim pœnitens in aliquibus circumstantiis, propter suam dispositionem, & necessitatem, indigere aliquo remedio ad vitandum periculum peccati: & tunc Indulgentia non tolleretur hanc obligationem: quia hæc obligatio non oritur ex præcepto Confessarij; sed ex iure ipso naturali, quo obligatur homo ad vitandum peccatum suum futurum, & per consequens ad vitandum remedium, quod censetur moraliter necessarium ad vitandum peccatum: quam obligationem Confessarius non imponit, sed declarat. Loquendo autem de obligatione noua, quam Confessarius imponit, illa solum provenit à potestate iudiciali, qua potest punire, & ligare obligando ad pœnam.

Nec Concilium Tridentinum illo *cap.* 8. aliud insinuat: non enim dixit, Sacerdotem posse obligare præcipiendo medicinam, vt talis est; sed dicit Sacerdotem debere curare, vt pœnitentiæ non solum sit medicina in futurum; sed etiam in vindictam præteriti. Nam *claves*, inquit, Sacerdotum, *non*

non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent. Quæ ratio potius ostendit, non posse Sacerdotem obligare, nisi quatenus imponit penitentiam, ut penam: si enim ligat etiam imponens ut medicinam, ineptè argueret Concilium probans, debere Sacerdotem non solum imponere medicinam; sed etiam penam: quia habet potestatem etiam ligandi: qui arguendi modus, ut subsistat, supponit, potestatem ligandi non exerceri, quatenus medicina imponitur.

26. Confirmatur: quia, si condonata pœna, Sacerdos adhuc obligaret ad ieiunium per modum medicinae, peto, an illud ieiunium deberetur, ut satisfactio sacramentalis, quæ sit pars Sacramenti, vel non. Ut satisfactio deberi non potest: quia qui nihil iam debet pro peccatis, non potest obligari ad solvendum; nec potest puniri à Iudice ille, cui condonata est pœna: ergo illud ieiunium non imponitur ut satisfactio: ergo non erit pars integralis Sacramenti. Ex hoc autem inferitur, nec posse imponi ut puram medicinam: quia inauditum est, quod penitens ex merito præcepto Confessarij obligetur ad aliquid, quod, si ponatur, non possit esse pars integralis Sacramenti: omnes enim dicunt, satisfactionem sacramentalem, quæ est tertia pars huius Sacramenti, esse illa opera, quæ Confessarius penitenti imponit. Dicitur quidem aliquando Confessarius obligare penitentem ad restitutionem, vel ad relinquendam occasionem proximam: illa tamen est loquutio impropria, ut constat, quia Confessarius non obligat, sed declarat penitentem obligationem, quam iam habet; & negat absolutionem, dum suæ obligationi non satisfaci: Obligatio autem propria, qua Sacerdos obligare potest, apud omnes conuenitur cum impositione penitentiae, quæ est pars integralis huius Sacramenti. Cum ergo, posita Indulgentia, non possit obligari penitens ad aliam satisfactionem exhibendam, consequens est, ut nulla obligatio Confessarij manere possit.

27. Dices iterum: Manebit adhuc obligatio implendi penitentiam, saltem propter reuerentiam Sacramenti, & eius integritatem, ne maneat Sacramentum imperfectum sine vna parte integritati. Sed contra hoc est: quia, ut optime notat, & fatetur ipse, Suarez in præfati, disputat. 50. sect. 1. num. 7. hoc Sacramentum non postulat hanc integritatem satisfactionis, nisi propter hunc effectum satisfaciendi pro pœna, & idè illo consequuto, non est contra reuerentiam Sacramenti, quod illa integritas omitatur. Imò addit idem Suarez, cum hoc Sacramentum sit iudicium iustum, ex se postulare, ut non exigatur satisfactio ab eo, qui vel debitum iam soluerat, vel remissionem debiti consequutus est.

28. Instabit aliquis: quia, si per Indulgentiam aufertur omninò obligatio implendi penitentiam impositam: ergo, etiam penitens velit illam implere, proptè de facto communiter omnes eam implent, illa satisfactio nullam habebit effectum ex opere operato: quia, quod non oritur ex obligatione & præcepto Confessarij, non est pars huius Sacramenti, nec eleuatur per claudas ad effectum sacramentalem operandum. Respondetur distinguendo: nam, vel penitentia impletur, postquam concessa quidem est Indulgentia; sed antequam penitens illam lucretur, ut contingit in Iubilæo, confessio enim fit, antequam homo lucretur Iubilæum: & tunc penitentia erit pars Sacramenti, & dabit effectum satisfactionis ex opere operato, quia adhuc manebat debitum pœnæ, & durabat

P. Ioan. de Lugo, de Penitentia.

obligatio ex præcepto Confessarij ad satisfaciendum, si non esset aliunde extinctum debitum. Vel penitentia impletur post obtentam Indulgentiam: & tunc, si Indulgentia non abstulit totum illud debitum, sed partem; penitentia operabitur effectum sacramentalem quoad aliam partem, quæ remanet: & fiet vere, ex præcepto Confessarij durante, quandiu non est extinctum totum debitum. Denique, si Indulgentia extinxit totum debitum pœnæ, eadem videtur esse difficultas, si penitens aliis piis operibus non iniunctis à Confessario satisfecisset pro illo debito pœnæ, an penitentia postea impleta operaretur effectum sacramentalem ex opere operato. In quo casu Pater Suarez disputat. 50. sect. 1. num. 16. cum Durando probabile putat, ei, qui per Indulgentiam, vel propriam satisfactionem extinxisset iam debitum pœnæ illorum peccatorum, pro quibus penitentia imposita illi fuit, si tamen postea penitentiam sibi impositam exequatur, illam penitentiam prodesse ex opere operato ad delendam pœnam debitam pro aliis peccatis. Quod tamen mihi difficile est: quia, ut supra dixi, opera imposita à Sacerdote per claudas non eleuantur, nisi ad effectum illius Sacramenti operandum, qui est remissio perfecta illorum peccatorum, à quibus Sacerdos absoluit. Quis enim credat, quod possit illa satisfactio ex opere operato remittere pœnam debitam pro peccato post ipsam confessionem commissio? Ratio: quia solum operatur, ut puniatur sacramentali, per quam Sacerdos nomine Christi punit, & commutat pœnam debitam in talem penitentiam: Sacerdos autem non punit peccata futura, nec alia, nisi ea, de quibus iudicat in illa Confessione: ergo non commutat in illam penitentiam, nisi pœnam debitam pro illis peccatis. Denique, cessante obligatione, cessat punitio: quia actus puniendi oritur à coercitua, qua Iudex potest obligare, & cogere ad pœnam: sed posita aliunde satisfactione, vel condonatione totali, cessat obligatio penitentis ad illam pœnam: ergo illa iam non erit punitio sacramentalis ex defectu materiae, circa quam deberet versari, ut posset esse vera punitio, atque idè non mirum, quod obtenta Indulgentia, illa satisfactio non habeat effectum ex opere operato, nec sit satisfactio sacramentalis, cum non sit satisfactio pro peccatis, quæ pertinet ad illud Sacramentum.

Hinc inferitur primò, tempore Iubilæi posse Confessarium leuiores penitentias imponere; obligando tamen penitentem ad lucrandum Iubilæum: ad hoc enim conceditur illa remissio à Pontifice, ut subleuetur penitens, qui pro tantis peccatis non poterat agere debitam penitentiam: quod redundat etiam in leuamen Confessarij, qui frequenter nescit, quomodo peccatori ingentibus peccatis grauato possit congruentem penitentiam imponere, præsertim, cum ad quamlibet penitentiam grauiorem difficilem eum inueniat.

Inferitur secundo, hoc pacto posse etiam Confessarium prouidere penitenti, quem inuenit grauatum multis penitentis ex antea actis confessionibus, quas non impleuit: in quo casu, ut videmus disputat. 25. sect. 6. Confessarius non potest commutare illas penitentias, non auditis prioribus peccatis: poterit tamen commutare illas in aliquam Indulgentiam plenariam, quam penitens lucretur: quo pacto eum liberabit ab eo onere. Imo, cum hic modus liberationis non oriatur ex potestate secundi Confessarij, sed ex subtractione materiae, quatenus per Indulgentiam extinguitur illud

Bbb 2 illud





ex illa voluntate, vel applicatione virtuali, quam habuerat. Secundo, & à priori: quia ego non possum applicare ieiunium meum præsens pro peccato Petri futuro; non enim sum dominus operis, nisi cum actu operor, vt *suprà* vidimus: ergo Sancti, cum erant in hac vita, non potuerunt validè applicare suas satisfactions pro necessitatibus futuris. Ad quid ergo attendi debet ad eorum implicitam, aut virtualem intentionem, si etiam expressa, & formalis nihil valeret?

Respondet secundo idem Suarez, Ecclesiam vel luti iure hæreditario succedere in eiusmodi bonis suorū filiorum, quæ ipsi aliis non dederunt. Sed contra hoc etiam est, quod hæres non posset habere plùs iuris, quam haberet ipse defunctus, si viveret: sed ipsemet iustus, si viveret, non posset nunc applicare suum opus præteritum, pro me: ergo neque Ecclesia, vt hæres illius, poterit applicare.

37. Dicendum ergo videtur, hanc applicationem non fieri ab ipsis Sanctis, sed à Deo, qui manet nunc Dominus illorum operum, & potest nunc ea applicare. Dices: Illemet, qui fecit opus bonum, non est postea dominus illius: ergo nec Deus. Respondetur negando consequentiam. Nam valde diverso modo Deus est Dominus illius operis, ac homo. Quia homo est solùm Dominus quasi actiue, quatenus potest illud facere, quando potest facere, & non facere: Deus autem est etiam Dominus alio modo, quatenus condignè potest moueri, & non moueri, ad remittendam alteri pœnam intuitu pœnæ alienæ: æquum enim est, vt, si heri ille innocens laudabiliter passus est; hodie, quando eius frater deliquit, computeetur pœna hesternæ fratris innocentis pro illa, quam hodie iste debebat, & absoluatür iste intuitu pœnæ, quam eius frater innocens heri laudabiliter sustinuit. Hoc ergo dominium semper manet penes Deum, quod non est posse facere opus pro hoc, vel illo; sed posse moueri de condigno ad remittendam reo pœnam intuitu pœnæ, quam frater innocens laudabiliter passus est. Itaque Papa nomine Dei, non nomine Sanctorum, applicat eorum satisfactions necessitatibus presentibus.

38. Obiicies primo: quia in Sacramentis non applicantur nobis satisfactions Sancto-um, sed solius Christi: ergo neque per Indulgentias: sufficit enim satisfactio infinita Christi in vtroque casu. Respondetur negando consequentiam: quia, licet sufficeret satisfactio Christi, & licet in Sacramentis ipsa sola, & eius merita applicentur, quia Sacramenta sunt fundamenta nostræ religionis, quæ à solo Christo habent efficaciam; in hac tamen relaxatione, quæ fit per Indulgentias, voluit ipse honorare Sanctos, & assumere eos tanquam socios ad absolutionem, & liberationem nostram: quod ex ipsa Ecclesiæ traditione satis constat.

Obiicies secundo: Pontifex concedens Indulgentias non iemittit, vel absoluit auctoritate Sanctorum: ergo non dat Indulgentias ex eorum satisfactioe. Negatur etiam consequentia: quia, licet ex Sanctorum satisfactioe fiat solutio; non tamen fit per potestatem acceptam ab ipsis Sanctis, qui nec potuerunt illam dare, sed per potestatem à Deo acceptam, qui solus poterat hanc pœnæ præteritæ acceptationem facere pro pœna nunc debita.

39. Obiicies tertio: Ergo non solus Christus redemit nos; sed etiam Sancti, qui suis passionibus nos liberant à pœna debita, possunt dici nostri redemptores. Respondetur, hoc argumentum magis directè probare contra suffragia, quæ vnus iustus offert pro alio defuncto, v. gr. tunc enim magis pro-

*P. Ioan. de Logo de Pænisensia.*

priè posset dici, cum redimere, cum offerat determinatè opera sua in pretium pro eius libertate. Dico igitur, Sanctos non appellari propriè nostros redemptores. Primo, quia redimere est actus moralis procedens ex voluntate redimendi, liberatio autem nostra non procedit, vt vidimus, ex intentione, qua Sancti offerunt pretium pro nobis: sed ex voluntate Dei computantis illam pœnam pro solutione nostri debiti. Secundo, quia redemptor simpliciter, & absolute in præsentia materia, & negotio nostræ salutis non est, qui aufert aliquod impedimentum, & dilationem; sed qui liberat nos à fertuitate peccati, & damnatione æterna, quod solus Christus fecit: quare neque etiam, qui offert suffragium pro defuncto, dicitur simpliciter eius redemptor. In aliquo tamen sensu magis limitatio concedi potest, quod redimimur à debito pœnæ per passiones Sanctorum: idè enim Pius V. & Gregorius XII. reiecerunt propositionem illam Baij *suprà* adductam, hunc loquendi modum admittere nolentis.

40. Obiicies quartò, hanc doctrinam non coherere cum doctrina Clementis VI. in *prædicta Extravaganti, Vnigenitus*. Nam Pontifex ibi non loquitur de satisfactioibus; sed de meritis Sanctorum, per quæ dicit augeri thesaurum Ecclesiæ. *Ad cuius*, inquit, *thesauri cumulum B. Dei Genitricis, & omnium Electorum merita à primo iusto, vsque ad vltimum, adminiculum præstare noscuntur*. Ad hoc facile responderetur, *ibi sumi merita, vel materialiter, vel largo modo: nam, quia satisfactions omnes sunt etiam merita condigna, & licet non reponantur in thesauro sub ratione meriti, seu ad merendum, sed ad satisfaciendum; ipsum tamen satisfacere fit ad modum meriti, & largo modo appellatur mereri; idè nominatim illa opera sub nomine magis noto, & vulgari meritorum, cum reuera merita sunt.*

41. Sed contra solutionem obiicies quintò: quia si non loquatur Pontifex de meritis formaliter, vt meritis, doctrina ipsius vera esse non potest; dicit enim merita omnium electorum, à primo vsque ad vltimum, deseruire ad augendum hunc thesaurum. Quod quidem de satisfactioibus verum non est: nam multi iusti, & Electi fortasse nunquam habuerunt satisfactions superfluas, & superabundantes; siue quia indigebant sibi, siue quia, si aliquibus non indigebant, eas pro aliis viuus, aut defunctis applicauerunt; atque idè ex illis non auerunt cumulum thesauri: ergo debent verba illa intelligi de meritis quæ nulli Electorum defuerunt; & illa eadem vt imperatoria de congruo reposita manent in Ecclesiæ thesauro.

Confirmatur ex verbis sequentibus eiusdem Pontificis, quibus hunc thesaurum inexhaustibilem esse ostendit. *De cuius consumptione inquit Clem. VI, seu minutione, non est aliquatenus formidandum: tam, propter infinita Christi, vt prædictum est, merita æquante pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam; tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum*. Quæ ratio in satisfactioibus non videtur probare, cum non omnes, quibus applicatur thesaurus, augeant postea illum propriis satisfactioibus superfluis, sicut augeant propriis meritis, si iusti sunt.

42. Propter hæc Pater Suarez *dicta sect. 2. num. 14. & seqq.* dicit, opera iustorum sub vtraque ratione manere in thesauro Ecclesiæ, scilicet, vt merita congrua, sub qua ratione omnia eorum opera manent; & vt satisfactions, sub qua ratione manent solum satisfactions eorum superabundantes: & idè posse aliqua de illis, vt merita sunt,

BB b 3 verificari.

verificari; licet non verificentur, ut sunt satisfactio- nes. Quare inexhaustibilitatem thesauri magis videtur Pontifex ex augmento meritorum probare, quam satisfactionem: quia sub ratione meriti omnes electi concurrunt ad augendum; non vero sub ratione satisfactionis.

43. Haec responsio iam videtur aliquo modo deficere à rigore sententiae, communis, quam in conclusione proposuimus: quare contra illam fieri possunt argumenta, quibus probauimus, thesaurum non componi sufficienter ex meritis congruis, sed ex satisfactionibus condignis Sanctorum. Deinde ex ipso contextu Clementis VI. reici potest. Primo, quia ibi Pontifex loquitur de thesauro, qui applicetur, & dispensetur per Pontificem: dispensare autem significat distributionem, & exhibitionem pretij, dando partem vni, & partem alteri, quod impetrationi non competit, sed satisfactioni. Secundo, quia metus ille, quod thesaurus consumatur, & exhauriatur, contra quem Pontifex opponit multitudinem meritorum in dies accrescentium, & augmentum ipsum thesaurum, non potest intelligi de exhauritione sola meritorum; sed multo magis satisfactionum: nam, licet manerent in thesauro merita congrua Sanctorum ad impetrandam nobis veniam, si exhausta fuissent satisfactiones, multo magis, & merito metueret possemus de inefficacia thesauri ex hac parte: deficiente enim pretio condigno, quo redimerentur nostrae poenae; metueret iam possemus de debilitate, & incertitudine Indulgentiae, quae solam immitteretur impetrationi congrua ex meritis praeteritis. Si ergo Pontifex hunc timorem excutere voluit, non debebat recurrere ad multitudinem solam novorum meritorum, exhausta omnino satisfactione thesauri, debemus, ergo persistere in satisfactionibus contentis in thesauro sine recursum ad merita.

44. Aliter itaque respondendum est ad obiectionem, & dicendum, propositionem illam vniuersalem non esse intelligendam de omnibus Electis materialiter; sed per distributionem accommodatam: ut sensus sit, satisfactiones omnium electorum, à primo vsque ad vltimum, qui habuerunt satisfactiones superfluas, reponi in thesauro. Quem sensum omnes debent admittere, etiam si id intelligant de meritis congruis. Nam, sicut possunt esse aliqui electi, qui nullam habuerint satisfactionem superflua; sic possunt esse aliqui, qui nullam habuerint meritum: quia, ut omittam paruulos Electos, quorum certe nullum meritum in thesauro reponi potuit; inter adultos etiam aliqui potuerunt iustificari cum attritione praecedenti per Sacramentum paulo ante mortem, ita ut nullum meritum, aut satisfactionem exercuerint postea in statu gratiae: praesertim, si petito Baptismo, vel absolutione, amiserint sensum, & in eo statu Sacramento suscepto decesserint. Et quis scit, quod vltimus Electus non sit futurus talis? Non ergo intendit Pontifex, quod omnes prorsus Electi, & singuli aliquid debeant ad communem thesaurum conferre; sed, quod omnium opes, si quae sunt, ad illius augmentum conducunt. Nomine autem meritorum, seu satisfactionum simpliciter intelliguntur sola superflua: nam, quae superflua non fuerunt, non intelliguntur adhuc extare, cum expensa, & consumpta fuerint in effectu adaequato, & condigno, quem iam habuerunt; illa tamen, quae adhuc non habuerunt suum effectum, intelliguntur durare, & extare: atque ideo verum est, omnes satisfactiones Electorum, scilicet, quae adhuc extant, repositas esse in thesauro; & hic est sensus legitimus illius propositionis vniuersalis, quam

clarius explicuit Leo X. in praedicta Bulla dicens, fieri hanc solutionem ex superabundantibus Sanctorum operibus, & hanc fuisse Romanae Ecclesiae doctrinam.

Ad confirmationem dicimus, etiam si verba illa intelligantur de meritis, explicanda ab omnibus esse; cum non sit necesse, omnes, quibus Indulgentiae applicentur, addere postea noua merita ad thesaurum, ut vidimus cum fieri possit, quod is, cui in mortis articulo Indulgentia applicatur, non possit postea vllum meritum exercere. Debet ergo intelligi de necessitate quadam morali, & humane modo: nam plerumque illi quibus Indulgentiae applicantur, cum liberi iam sint à proprio reatu poenae, habebunt satisfactiones sequentes magis ex parte superabundantes, & thesaurum augebunt. Vbi obiter nota, quando Pontifex dicit, *quanto plures ex thesauri applicatione trahuntur ad iustitiam, multo magis accrescere ipsorum cumulum meritorum*, non esse intelligendum de vera, & rigorosa iustificatione; cum sit certum, per Indulgentias non iustificari hominem à peccato, & transire ad statum gratiae; sed debere intelligi de iustitia laetitia accepta, prout significat iustificationem, seu mundationem à reatu poenae: quam iustificationem, dum per Indulgentias consequimur, expedit iam à propriis debitis reddimur magis expedit ad thesaurum augendum propriis satisfactionibus, quibus iam non indigemus.

Obiicies sexto, ex hac doctrina sequi, quod etiam in lege antiqua fuerit thesaurus ex satisfactionibus superfluis Electorum, atque adeo potuisse tunc etiam esse Indulgentiarum usum per applicationem, & distributionem thesauri communis. Respondetur, concedendo, fuisse tunc thesaurum: quod indicat Clemens VI. dum dixit, à primo vsque ad vltimum Electorum potuisse augeri: sed tamen erat clausus, non data potestate vili homini aperiri, & distribuendi illum, prout data est Pontifici in lege noua. Diximus enim *supra*, illas satisfactiones non remanere in dominio hominis operantis, aut cuiusvis alterius; sed solius Dei, quatenus potest moueri, & non moueri condigne ad remittendam poenam alicui intuiui illius poenae, quam eius frater laudaciliter, & innocens, passus est. Deus ergo, qui solus potest illas satisfactiones praeteritas, acceptare, reuertit legi gratiae hanc liberalitatem, & clausus huius thesauri, praesertim cum ante merita, & satisfactiones Christi esset valde diminutus, & multo inferioris dignitatis, & excellentiae.

47. Peres an, in thesauro reponantur satisfactiones superfluae Electorum solum, & praedestinatorum; an etiam reprobatorum iustorum: nam Clemens VI. in praedicto loco de solis Electis mentionem fecit. Respondetur distinguendo: nam post eorum mortem non manent in thesauro satisfactiones reprobatorum: dum autem sunt in hac vita, & vtrorumque satisfactiones sunt in thesauro, quando in statu gratiae; neutrorum dum sunt in peccato, etiam si fuerint postea in statu gratiae. Ratio est, quia satisfactiones imitantur merita: quare, sicut merita in statu gratiae per peccatum morificantur sic etiam satisfactiones: & sicut merita per poenitentiam reuiuiscunt; sic & satisfactiones. Unde, quando homo moritur in peccato, omnes eius satisfactiones, sicut & merita poenitentiae delentur, nec sunt amplius in thesauro: quomodo enim nunc Deus condonaret alicui poenam intuiui satisfactionis, quam Iudas habuit, dum erat in gratia: nonne hoc esset aliquod modo retribuere praemium, & remunerare opera Iudae? cum tamen ipse

ipse modo non sit in statu qui premium vel remunerationem condignam aliquam possit recipere; quia omnem dignitatem per peccatum, & condemnationem perdidit. Ideo Pontifex in illis verbis, Electionem solum meminit: quia loquebatur potissimum de thesauro ex defunctorum meritis constante: non tamen exclusit, quod aliqua etiam satisfactio reproborum viuentium in eo reperiantur, qui adhuc in gratia viuificantur.

SECTIO IV.

*Verum Indulgentia nunquam, nisi ex thesauro, concedatur; vel e contra, thesaurus, non nisi per Indulgentias dispensetur.*

48. **E**X dictis inferitur primò resolutio alterius dubij, an Indulgentia aliquando concedatur aliter, quam ex thesauro predicto. Aliqui enim agnoscunt in Pontifice potestatem ad vtrumque; scilicet, ad remittendam immediatè pœnam, sicut potest ex causa dispensare in foro, aut remittere pœnam aliquam ecclesiasticam in foro externo, absque applicatione thesauri; & potestatem etiam ad soluendum ex thesauro pro debito pœnæ; & aliquando hoc, aliquando illo modo indulgentias concedit, frequenter tamen vtroque simul. Ita docuit Medina de indulgentiis, disputat. 8. præsertim cap. 40. 41. & 42.

Hæc tamen sententia est contra communem Theologorum, qui docent, semper procedere ex thesauro dispensatione, & applicatione. Indulgentie concessionem, cum S. Thoma in 4. disp. 20. q. 1. art. 3. quæstione. 1. ad. 3. & aliis, quos refert, & sequitur Suarez disp. 51. sect. 3. n. 3. Et quidem, si sermo sit de thesauro, prout saltem continet Christi merita, negari non potest, necessarium semper illum esse ad indulgentiæ concessionem, cum enim nullum beneficium nobis concedatur in ordine ad animæ salutem nisi per Iesum Christi merita; consequens est, ut & potestas illa Pontifici concessa, & ipsa pœnæ remissio ab eo facta inuiti debeat meritis Christi, quorum intuitu illa omnia rata habentur à Deo.

49. *Semper applicatur solum satisfactio Christi.*  
**R**ursus, loquendo de eodem thesauro, prout continet etiam Christi satisfactio, quatenus hæc formaliter distinguitur à meritis, dicendum videtur, non posse indulgentias concedi sine eius applicatione. Quamuis enim merita Christi propter suum valorem infinitum sufficerent ad abtinendam nostram salutem per modum meriti condigni; cum tamen Christus de facto non solum meruit, sed etiam satisfecerit, oportebat, ut eius opera concurrerent, non solum ut meritoria, sed etiam ut satisfactoria ad eos effectus, qui sunt proprii satisfactiois. Primò, quia alioquin satisfactioes Christi, ut tales sunt, manerent otiosæ, inutiles, & sine villo effectu: quod cum Deus neque in Sanctorum satisfactioibus superfluis fieri velit, & idè earum intuitu aliorum pœnas condonet per Indulgentias, ut diximus; multò minùs de Christi satisfactioibus dicendum esset, quod qui dem ex aliquo capite magis debebat in satisfactioe caueri, quam in merito. Quia meritum Christi poterat ipsi vtile esse cum aliqua sibi meruerit: satisfactio verò ipsi Christo nihil prodesse poterat in ordine ad se, cum nec pro culpa, nec pro pœna propria posset satisfacere, atque ad eò multò magis otiosa, & inutilis esset satisfactio, si nobis non applicarentur, quam meritum.

50. **S**ecundò, quia congruentius est, & iuxta diuinam prouidentiam vsum, ut effectus, quoad fieri possit, procedant ex causis, ut vniuocis, vel eiusdem or-

dinis: quando ergo agitur de remittendo pœnæ debito, oportebat, cum id fieri posset quòd fieret per applicationem pœnæ, & satisfactiois, ut sic vnius satisfactiois, & pœnæ debitum congruentius tolleretur per alterius pœnæ solutionem, & satisfactioem.

Tertio, quia hunc etiam modum exigit diuina iustitia, ut licet ex parte peccatoris gratis ei remittatur pœna; diuina tamen iustitiæ satisfiat per eondignam satisfactioem: ut sic & misericordia, & iustitia Dei in hoc opere, sicut in cæteris; resplendeant: satisfiat autem iustitiæ melius applicando satisfactioem, quam sola merita Christi: quia, quoad propter merita remittitur pœna, vere fit remissio; hoc enim obtinetur merita ut remittatur pœna: quando verò offertur satisfactio condigna, aliena, licet nobis dicatur remitti, quia nos nihil solvimus, verè tamen non remittitur, sed redimitur pœna oblato pretio aequali: hoc autem magis congruit iustitiæ diuinæ, ut peccata non maneant impunita.

Quartò, hoc ipsum colligitur ex verbis Pontificum, qui hanc Indulgentiæ concessionem appellare solent solutionem, & dispensationem thesauri; dispensare enim, & soluere, ut Medina etiam fatetur, non significat gratuitam remissionem, sed solutionem pretij: non ergo fit pro sola materia, sed per satisfactioem etiam Christi: nam merita non excludunt veram remissionem, ut vidimus.

Hinc infero primò, hoc ipsum dicendum esse, quando per Sacramenta fit remissio pœnæ ex opere operato, ad hunc effectum non solum concurrere Christi merita, sed etiam eius satisfactioes, ut effectus ille fiat per causam magis proportionatam, & propter alias rationes adductas. Vnde in eò Paludan. in 4. distinct. 10. quæst. 4. distinguit quoad hoc inter Baptismum, & Pœnitentiam; ut in Sacramento Baptismi applicaretur satisfactio Christi & ad remissionem peccati originalis; at in Sacramento pœnitentiæ non applicaretur satisfactio, sed meritum Christi ad remissionem peccati actualis. Quod sine fundamento asseritur, & contra rationem: quia in vtroque casu suppletur satisfactio nostra pro vtroque peccato, quam exhibere non possumus: ergo debet suppleri per satisfactioem Christi, quæ, cum sit satisfactio infiniti valoris, poterit acceptari, & pro culpa, & pro pœna per modum satisfactiois; & tam pro culpa actuali, quam pro originali. Vnde non solum in Sacramento, sed etiam extra illa, quoties nobis remittitur culpa, siue mortalis, siue venialis, siue satisfactioe condigna ex parte nostra, debet propter eandem rationem, applicari non solum meritum, sed etiam satisfactio Christi. Quando verò homo iustus per condignam satisfactioem satisficit pro debito aliquo pœnæ temporalis, licet debeant applicari Christi merita, non solum antecedenter, ut conferatur gratia efficax ad illud opus bonum; sed etiam consequenter, ut satisfactio acceptetur à Deo; non tamen video, ad quid debeat tunc applicari satisfactio Christi, posita iam satisfactioe condigna hominis iusti: quia cum hæc sit solutio condigna, & æquiualens; non oportet applicari aliam solutionem, nisi velis soluere supra condignum, sed solum petere, quòd acceptetur ista solutio. Sicut, si velles emere equum à Ioanne pretio iusto, posses vti opera Petri, ut obtineret à Ioanne, quòd vellet acceptare pretium pro equo: non tamen debere Petrus offerre aliquid pretij ex parte sua ultra pretium iustum, quod tu offeres, alioquin iam daretur pretium supra iustum. Sic in presenti videntur applicari merita Christi; ut ob-

51.  
*Ad remissionem peccati ex opere operato per Sacramenta quid eorum curat.*

tineatur acceptatio nostrae solutionis condignae, quam possit Deus non acceptare, ut vidimus *dispensat. 25.* non tamen oportet augere pretium, applicando satisfactionem Christi, si pretium nostrum condignum est.

52.  
Applicatur  
semper satis-  
factio in the-  
sauro  
contenta.

Infero secundò, nunquam Indulgentiam concedi, nisi per applicationem satisfactionis in thesauro contentae. Primò, quia rationes *suprà* positae vniuersales sunt, & vniuersaliter probant, nunquam Deum remittere poenam sine applicatione solutionis condignae, saltem alienae, quoties id fieri potest. Secundò, quia Pontifices vniuersaliter videntur loqui, dum Indulgentiae concessionem appellant dispensationem thesauri, quod solutionem pretij significat: nam licet aliquando vrantur verbo *absoluendi*, & *absolutionis*, quod videtur significare condonationem sine respectu ad pretium, illam tamen ipsam absolutionem alibi dicunt fieri per dispensationem thesauri. Sic enim Clemens V. *in dista Extravag. Vnigenitus* dixit, Christum commississe Petro, & eius successoribus dispensationem thesauri; quam potestatem cum agnosceret suus praedecessor Bonifacius VIII. dixit, se thesaurum aperuisse, & concessisse plenissimam Indulgentiam: quam tamen ipse Bonifacius *in Extravag. Antiquorum*, per modum absolutionis concessit. Vnde Sixtus I V. *in Extravag. Quemadmodum* eandem Indulgentiam, quam Clemens VI. ex apertione thesauri concesserat, renouat, & ad breuius tempus reducit sub nomine *remissionis*. Et Leo X. in illa Bulla ad Caiet. dixit, *per indulgentias thesaurum dispensari, vel per modum absolutionis Indulgentiam conferendo, vel per modum suffragij in alios transferendo*. Vbi vtrumque modum concessionis dicit continere distributionem thesauri. Constat ergo, sicut semper Indulgentiam conceditur dispensando thesaurum, & soluendo pretium, ut ex praedictis Pontificum testimoniis colligitur; sic semper fieri applicando satisfactiones in thesauro contentas, sine quibus pretium solui non possit.

33.

Dices primò, absolueri est condonare, & remittere: ergo quando Papa concedit Indulgentiam absolueri, seu per modum remissionis, non soluit pretium ex thesauro. Respondetur, illam eandem esse remissionem ex parte nostra, quia sine villo nostro pretio fit, & simul esse solutionem in ordine ad Deum: vtrumque enim dixit Tridentinum *sess. 14 cap. 6.* coniungi in absolutione Sacramentali, ut sit *dispensatio alicuius beneficii & absolutio etiam, & remissio peccati*. Ideò Pontifices indifferenter usurpant *absolutionis* nomen, *remissionis*, *dispensationis*, *solutionis*, &c. in concessione Indulgentiae, ut dictum est.

Dices secundò: Si Indulgentia sit ex thesauro, ut continet Christi satisfactionem: ergo non fit ex thesauro, ut continet Christi merita ad quid enim requiruntur merita, si absoluitur eodignè oblatio pretio infinitae satisfactionis Christi? Respondetur merita etiam Christi conducere, ut Deus acceptet satisfactionem Christi pro debito nostro, cum possit illum non acceptare, sed exigere poenam ab ipsomet debitore: Christus tamen meruit, ut Deus acceptaret alienam satisfactionem, cum hoc ipsum beneficium Dei sit, & omnia Dei beneficia ad nostram salutem pertinentia proueniant ex meritis eiusdem Christi.

54.  
An semper  
applicentur  
satisfactiones  
Sanctorum.

Maior difficultas esse potest de eodem thesauro, prout continet satisfactionem Sanctorum. Et quidem certum est, non esse necessarium ad valorem Indulgentiae, cum semper remaneat infinitus valor satisfactionem Christi: quare, licet contingeret, exhaustum esse omnino thesaurum, quoad san-

ctorum satisfactiones; adhuc eandem efficaciam, & fructum afferret Indulgentia legitime concessa. An verò de facto semper dispensetur thesaurus; etiam prout continet Sanctorum satisfactiones, quoties Indulgentia conceditur; P. Suarez *sess. 1. num. 7.* dicit, id pendere ex intentione concedentis Indulgentiam. Quòd tamen mihi difficile apparet: nam, licet Pontifici data sit clavis thesauri; non videtur data distributio ita libera, ut possit, nunc ex hac parte thesauri concedere, nunc illa alioquin possit etiam nunc ex satisfactione Sancti Francisci concedere Indulgentias, nunc ex satisfactione Sancti Ioannis; & sic de aliis: quam tamen facultatem nunquam in se agnouerunt Pontifices; nec expedire videtur eius concessio. Cum enim ipsi non possint scire, quis, vel quoram partem habeat in thesauro, postu quippe multi Sancti in eo nihil habere, non possent vilitate distribuere partem correspondentem tali Sancto, imò frequenter exponerentur periculo errandi, & concedendi Indulgentias inutiles, frustra ergo, & non sine in commodo concessa fuisset talis facultas, sed sufficit facultas distribuendi ex thesauro, Deo approbante, & sumente partem, quam vult.

Est autem verisimile, Deum ita disponere thesauri distributionem, ut in fine mundi omnes satisfactiones sanctorum superfluae, quae in illo continentur, suum effectum adaequatum habuerint.

Cum enim ratio reponendi eas in thesauro, & distribuendi per Indulgentias sit, ut diximus, ne satisfactiones illae superabundantes maneat sine effectu, & remuneratione sibi proportionata, congruum videtur diuinae providentiae, ut omnes, cum id facile fieri possit, habeant suum effectum, & remunerationem completam, ne maneat, quoad illam saltem partem, sine effectu, & remuneratione condigna; satisfactiones autem Christi, cum nunquam possint habere effectum condignum adaequatè, satis est, quod habeant partialem. An verò semper in omni Indulgentia Deus acceptet thesaurum, prout continet etiam Sanctorum satisfactiones, incertum est. Verisimile tamen est, ita fieri; quia, cum Christus voluerit Sanctos honorare, admittendo eos ad suum consortium in hac penae remissione operanda, magis videtur ad eorum honorem pertinere, si nunquam eorum consortium in eiusmodi effectu reiciat: atque ita videtur Pontifices, indefinè loqui de satisfactionibus Sanctorum, quando de Indulgentiae concessionis sermo est.

Restat nunc vltimum punctum, an è contra thesaurus non nisi per indulgentias dispensetur. De quo breuiter dicendum est, satisfactiones Christi in thesauro contentas dispensari etiam per Sacramenta, & quoties, etiam extra Sacramenta, remittitur culpa aliqua vel etiam poena absque condigna satisfactione, ut *suprà* diximus. Satisfactiones verò Sanctorum in eodem thesauro contentae non videntur dispensari posse ab Ecclesia, nisi per Indulgentias: nam Sacramenta totam suam efficaciam habent ex meritis, & satisfactione Christi, ut diximus, extra Sacramenta verò non apparet, quando, aut quomodo Ecclesia possit facere talem applicationem, nisi per Indulgentias. Dixit tamen, non posse dispensari ab Ecclesia: quia non inuenio inconueniens, si aliquis dicat, Deum ipsum aliquando exoratum precibus Beatorum, vel viatorum, quo casu diximus *suprà*, *dispensat. 24. sess. 1. n. 10.* Deum aliquando remittere poenas, tunc, inquam, applicare satisfactiones Sanctorum, praefectim eorum, qui intercedunt ad expiandum illud. Imò, cum animae Purgatorij possint etiam orare, & ob-

tinere aliquam veniam pœnæ debite, videtur satis congruum; quod si ex satisfactionibus illius animæ sint aliqua superflua reposita in thesauro, Deus attenda specialiter ad illas, vt earum intuitu, & acceptatione commutetur debitum presens. sicut enim posset ad hunc effectum acceptare satisfactiones alienas præteritas, cur non facilius acceptabit satisfactiones eiusdem in thesauro repositas? De his tamen nihil certum definire possumus.

SECTIO V.

An, & quomodo defunctis Indulgentia commutari possint.

57. Indulgentias defunctis prodesse, qui negant, quædam ali- quando.

Non defuerunt ex Catholicis, qui negarent, Indulgentias defunctis prodesse. Hostiensis, Gerson, & Gabriel apud Suarez *disput. 3. sect. 1. num.* licet aliqui eorum, vel id retractauerint, vel contrarium docuerint. Certum iam est, prodesse defunctis: ita enim declarauit Sixtus IV. vt refert Gabriel in *Addit. ad lect. 17. in Canonem* qui idem retractauit priorem sententiam. Idem declarauit Leo X. in *illa illa decretali contra Lutherum missa ad Caietanum*. Et denique vltus Ecclesiæ, & Summorum Pontificum id probat, cum passim Indulgentias pro defunctis concedant.

Quomodo Indulgentia defunctis prodesse.

Difficultas est in explicando, quomodo id fieri possit tota enim Pontificis potestas illis verbis concessa: *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in celo.* non videtur extendi, nisi ad illos, qui sunt adhuc in terra, & subditi ipsius Pontificis, quales non sunt defuncti qui iam non sunt super terram, sed sub terra, & omnino extra iurisdictionem Pontificis: nam licet aliquando defuncti absoluantur ab excommunicatione, illa tamen absolutio non terminatur directe ab defunctum, sed ad viuos, quibus permittitur orare pro illo, & offerre suffragia publica: quare, etiamsi anima esset damnata, absolutio illa valeret, cum tamen nertum sit animam damnatam non esse subditam Pontifici.

58.

Ideo omnes ferè Theologi dicunt, defunctis non prodesse Indulgentias per modum absolutionis, sed per modum suffragij: quod etiam significauit Leo X. in *Bulla contra Lutherum*, quæ incipit, *Exurge Domine*. Et omnes antiqui Pontifices in eiusmodi Indulgentiis pro defunctis, sempe explicabant, se alias concedere per modum suffragij.

Quid sit concessio per modum suffragij.

Quid autem sit concedere illas per modum suffragij, & quæ sit differentia à concessione per modum absolutionis, non omnes eodem modo explicant. Nam in primis aliqui dixerunt, concessionem per modum absolutionis significare infallibilitatem effectus: secus verò, quando fit per modum suffragij: quia, quando Pontifex Indulgentiam viuo concedit ipsemet accepto pretio ex thesauro, acceptat illud pro debito pœnæ, & profert sententiam absolutionis à priori debito, cum nondum inueniat sententiam à Christo prolatam: at verò mortuum quem iam inuenit iudicatum à Christo, & qui subditus eius non est, non potest iudicialiter liberare, & absoluerre, sed solum offerre pretium pro illo, vt Christo illud misericorditer acceptet. Vnde effectum hunc non esse infallibilem, dixerunt Caiet. *tom. 1. Opusc. tract. 17. quest. 4. & 6. Cano de locis Theolog. cap. 13. ad 9. & Corduba quest. 15. de Indulg. opin. 4.*

59.

Hic tamen modus explicandi multum derogat Indulgentiarum valori: nam si ablato pretio, potest adhuc non acceptari, ferè idem possent alij fideles, in ordine an defunctos, quod ipse Pontifex:

omnes enim possent orare Deum, vt acceptaret aliquod pretium ex thesauro, & illud pro tali anima applicaret: quibus precibus diximus *suprà* aliquando obtineri à Deo remissionem pœnæ per viam impetrationis. Vnde illa sententia non coheret satis cum loquutionibus Pontificum, qui effectum huius Indulgentiæ pro defunctis in eodem gradu collocare videntur, quoad certitudinem, cum effectum Indulgentiæ pro viuis, vt constat ex verbis Leonis X. in *prædicta decretali ad Caietanum missa*, vbi dicit, quod Papa potest viuis, & defunctis tollere impedimentum peccatorum, & aperire cælorum regnum concedendo Indulgentias. *Apostolica auctoritate thesaurum Iesu Christi, & Sanctorum dispensando, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam concedendo, vel per modum suffragij illam transferendo.* Vnde concludit, omnes tam viuos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consequuti fuerint, à tanta temporali pœna secundum diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessa, & acquisita Indulgentia æquiualeat. In quibus verbis vtriusque, viuis, & defunctis, promittitur vniuersaliter, & absque hesitatione indulgentiæ effectus; dum tamen legitime, & debite concessa, & acquisita fuerit, quæ conditio non significat effectum habendum, si efficaciter acquisita fuerit, hoc est, acceptata à Deo quoad effectum; hæc enim esset ridicula definitio, perinde ac si diceret: Habebit semper suum effectum, si Deus voluerit, quod illum habeat, sed debet intelligi de acquisitione Indulgentiæ, prout condistinguitur ab effectu, & illum antecedit: hoc est, quoties iuxta potestatem acceptam, Papa illam concedit, & fideles legitime acquirunt illud ius quod Indulgentia eis promitti, toties habituram suum effectum. Ratio autem est: quia, cum hic effectus, & hæc potestas Pontificis fundetur in auctoritate apostolica, & vtriusque detur Indulgentia ex auctoritate Apostolica, vt dixit Leo; necesse est quod fundetur in promissione Christi, atque adeo, quod sit infallibilis, sicut & ipsa Christi promissio infallibilis est.

Leo 3

60.

Pater Suar. *dicta sect. 3. num. 12. & seqq.* quem sequitur Coninch *disp. 12. dub. 10. dicit*, concessionem per modum suffragij in hoc solum differre, quod, licet asserat etiam suum effectum infallibilem; quia tamen Pontifex non habet iurisdictionem in defunctum, non absoluit eum à pœna, sed solum soluit offerendo ex thesauro pretium æquiualens pro illis: quia, licet non habeat potestatem in defunctum, habet tamen potestatem in thesaurum Ecclesiæ, ex quo soluit pro defuncto. Vnde infert nunquam concedi Indulgentiam per modum suffragij pro viuis: quia viuis est subditus capax absolutionis, cuius defunctus non est capax.

61.

Hic modus dicendi nunquam mihi satisfacere potuit. Primo, quia tota potestas Pontificis adtribuendum thesaurum, cum sit auctoritas apostolica, & pontificia, debet fundari, & includi in potestate, & munere Summi pastoris, quod accepit per illa verba: *Pasce oves meas* in quibus verbis non videtur inclusa vlllo modo potestas distribuendi ex thesauro ad alios; nisi ad oves sibi commissas: sibi enim data non fuit clavis thesauri, nisi vt Pastori, hoc est, in ordine ad pascendas proprias oves, nec factus est dominus, sed œconomus thesauri. Sicut, si dominus profecturus relinqueret arcam pecuniæ plenam apud œconomum, data ei clauis, vt in eam prouideat domesticis, dicens: *accipe hanc clauem, & prouide domesticis meis*: non posset œconomus de illa prouidere extraneis, aut soluere

vere eorum debita. Cùm ergo defuncti non sint oves Pontificis, nec ipse sit eorum Pastor, non poterit illis dare de thesauro Ecclesiæ, cuius claves accepit ad providendum ouibus sibi commissis.

Confirmatur, & explicatur alio exemplo: quia, si Gubernatori Romano Princeps dederit triticum, ut ex eo provideat Romanis civibus: licet Gubernator habeat potestatem in horreum commune, & habeat claves, non tamen poterit illud aperire, ut subueniat civi Florentino, qui ad eius curam non pertinet. Cùm ergo Pontifex accipit claves huius horrei, vel thesauri, ad pascendas oves sibi commissas, non poterit ex eo aliis dispensare, qui eius oves non sunt.

Secundò hoc ipsum probatur: quia, si Pontifex posset aperire thesaurum ad soluendum pro defuncto; posset immediatè concedere Indulgentiam per modum solutionis, aut suffragij ipsi defuncto, absque interuentu alterius viui, cuius orationes vel pia opera requiratur, ut requiratur Indulgentia pro defuncto: solutio enim pretij secundum se non requirit interuentum tertij, per cuius manus deferatur. Hoc autem inauditum est in Ecclesiâ: nunquam enim Pontifices concesserunt aliquam Indulgentiam defunctis, nisi concedendo viuis subditis, ut per pia opera propria Indulgentiam pro defuncto lucentur: nunquam ergo agnouerunt Pontifices, in se talem potestatem, quam in nullo prorsus casu exercere ausi sunt.

Respondet Suarez tacitè huic, obiectioni *dist. sect. 3. n. 14.* posse quidem id fieri, sed non expedire, ut fiat, quia ad valorem Indulgentiæ requiritur causa iusta: hæc autem debet requiri à viuis, cùm iam non possit poni ab ipso defuncto, cui Indulgentia conceditur: idè semper requiritur aliquod pium opus à viuentè ad iustificandam Indulgentiam, quæ mortuo conceditur. Hæc tamen responsio clarè reicitur ex vsu ipsius Ecclesiæ, quæ licet requirat causam ad concedendam Indulgentiam, non tamen semper causam futuram, sed sapius solum perterritam: nihil enim magis commune in Vrbe, quàm personis de Ecclesiâ benemeritis, quando sunt in mortis articulo, concedere absolutionem, & indulgentiam plenariam: ad quam concessionem Pontifex non exigit aliam causam futuram, vel aliud opus pium præstandum, sed attendit solum ad merita, & obsequia moribundi erga Ecclesiam. Vnde Legati etiam Principum, vel alij, antequam ab Vrbe discedant solent à Pontifice petere, & impetrare sibi eiusmodi Indulgentiam pro mortis articulo, nulla alia causa futura petita, sed solum intuitu præcedentis deuotionis: imò in Sacello Pontificio finita concione; solet semper Pontifex omnibus præsentibus Indulgentias concedere, quas Prædicator in fine concionis publicat, nullo alio opere futuro postulato. Cur ergo similiter non posset Pontifex homini de Ecclesiâ optimè merito defuncto concedere immediatè Indulgentiam plenariam absque interuentu alterius viui qui pro illo satisfaciat, cùm ad causâ iustificationem abundè sufficere egregia defuncti merita, & obsequia erga Ecclesiam? Cùm ergo pontifex nulli defuncto talem Indulgentiam concesserit, arguitur benè, id esse ex defectu potestatis, quam non habet ad soluendum immediatè ex Ecclesiæ thesauro pro iis, qui iam subditi, & oves ipsius non sunt.

Aliter ergo explicanda videtur hæc differenda, insistendo in verbis, & modo loquendi S. Th. & Theologorum antiquorum: nam S. Thom. in 4.

*dist. 45. q. 2. art. 3. quasiunc. 2.* dicit, Indulgentias concedi quidem defunctis non directè, & principaliter, sed tantum secundario, & indirectè. Quæ verba satis explicant, Pontificem non posse concedere immediatè Indulgentiam defuncto, sed mediatè, & indirectè, quatenus illam, scilicet, potest concedere alicui subdito viuenti, per quem transferatur in defunctum. Hoc enim verbum vsurpauit Leo X. in prædicta Decretali, dum dixit, Indulgentiam aliquando per modum absolutionis concedi, aliquando verò per modum suffragij transferri. Quod verbum transferendi significat hanc transmissionem debere fieri per alium; eò quod non possit illis immediatè hoc beneficium conferri quia subditi non sunt. Quod idem significat verba à summis Pontificibus apponi solita, scilicet, concedi defunctis per modum suffragij: hoc est, sicut fideles possunt propriis operibus subuenire, & suffragari defunctis; sic concedi eis, ut possint per indulgentias sibi concessas defunctis subuenire; sicut per propria suffragia, & ad modum, quo applicat illis solent opera satisfactoria, & quæ appellantur communiter suffragia.

Quomodo autem hæc facultas viuentibus à Pontifice concedi possit, variè potest explicari. Primò, si dicatur, quod Pontifex concedit subdito viuenti, ut posito aliquo opere bono possit ex Ecclesiæ thesauro applicare tantam partem pro aliquo defuncto, ita ut illam facultatem accipiat, quasi pro præmio boni operis exhibitii. Hic tamen modus explicandi non videtur posse subsistere: quia hoc verè esset communicare subdito clauem thesauri, ut ex eo posset soluere immediatè pro defuncto, quod non videtur possibile, quia, cùm ipse Pontifex non possit ex thesauro accipere ad soluendum immediatè pro defuncto; minùs poterit alteri talem potestatem communicare, qualem ipse non habet: nec refert, quod id fiat in præmium operis exhibitii, quia non potest dari pro præmio, id quod ex se superat eius potestatem: quare, cùm ex commissionem accepta, solum possit distribuere thesaurum ad pascendas proprias oves; non poterit ad præmiandum aliquem concedere, ut possit distribuere thesaurum ad alios fines.

Secundò ergo posset hoc explicari dicendo, quod Pontifex concedit quidem directè, & immediatè Indulgentiam viuentibus, cum facultate tamen, ut sicut ipsi possunt transferre propriam satisfactionem ad defunctum; sic possint illam satisfactionem sibi obuientem ex Indulgentiâ concessa non retinere sibi, sed transferre etiam in defectum per modum suffragij, hoc est, ad modum, quo solent suffragia ex propriis satisfactionibus defunctis communicare. Tunc autem Pontifex non abutitur potestate, nec excedit eius limites, quia directè, & immediatè solum distribuit thesaurum suis ouibus: cum facultate tamen, ut ipsi possint partem suam aliis communicare. Quod confirmari potest exemplo supra posito: quia, licet æconomus, qui arcam pecuniæ accepit ac providendum domesticis, non posset illam pro extraneis dispensare, posset tamen indirectè id facere dando domestico partem ex causa rationabili cum facultate, ut ipse eam posset extraneo donare. Sic etiam Gubernator Romanus licet non posset horreum tritici dispensare, nisi Romanis, posset etiam indirectè subuenire Florentino, dando tritici partem rationabiliter civi Romano cum facultate, ut posset eam Florentino donare, si veller. Eodem ergo modo poterit Pontifex thesaurum aperire immediatè

62.

Pontifex plerumque concedit Indulgentias ob causam præteritam.

64.  
Verba, per modum suffragij, quomodo intelligantur.  
S. Thom.

65.  
Indulgentiam datam pro defunctis quomodo tenentur.

66.

immediatè pro suis omnibus, dando illis partem, quam possint, si velint, defunctis communicare per modum suffragij.

67. Hic tamen modus explicandi, licet facillè videatur rem totam componere; adhuc non videtur satis sufficiens. Primum, quia, si viuentes, & subditi possunt à Pontifice accipere cum facultate communicandi defunctis, Indulgentiam, quam absque ea facultate potuissent accipere, sequitur idem inconueniens, quod supra contra P. Suarez inferrebamus, quòd, scilicet possit Pontifex concedere Indulgentiam pro defunctis, absque villo opere pio requisito ad eam Indulgentiam acquirendam: potest enim, ut vidimus, & de facto concedit sæpè viuus immediatè Indulgentiam absque alio opere bono de nouo requisito: potuisset ergo illas Indulgentias viuentibus concedere cum facultate transferendi eas ad defunctos per modum suffragij, non iniuncto aliquo bono opere pro defunctis offerendo. Hoc autem esset etiam contra perpetuum Ecclesie vltim: nunquam enim Indulgentia aliqua pro defunctis concessa est, non iniuncta oratione, vel aliquo opere pio, quod pro defunctis offeratur: non ergo est talis potestas, quam nullus vnquam Pontifex in se agnouit, aut exercuit.

68. Secundò displicet: quia, si Indulgentia illa prius, & immediatè conceditur subdito viuenti cum facultate transferendi ad defunctum, si voluerit, sequitur, quòd possit viuus illam retinere sibi, eamque sibi lucrari non transferendo ad defunctum: si enim datur prius illi, & sit propria illius cum facultate transferendi; ergo prius acquiritur illi ius ad illam partem satisfactionis: cur ergo non poterit illam sibi retinere? Sicut, in exemplis positis, possit ciuis Romanus retinere sibi triticum datum sibi ex horreo communi cum facultate dandi illud ciui Florentino. Item, quando œconomus daret domesticò de pecunia sibi commissa ad prouidendum domesticis, & daret domesticò cum facultate dandi extraneis; postea adhuc domesticus eam sibi retinere: quia facultas illa non cogit ad vltim talis facultatis. Consequens autem videtur esse contra fidelium mentem: nam, licet aliquando soleat concedi Indulgentia cum facultate lucrandi eam sibi, vel applicandi defuncto, communiter tamen Indulgentias concessas determinatè pro defunctis, nemo putat, quod possit lucrari pro se, & non applicare defunctis: ergo non ita conceduntur, ut dentur immediatè viuentibus pro se cum facultate communicandi eas defunctis, sicut possunt illis communicare sua suffragia.

69. Tertio, quia difficillè intelligitur, quomodo possim ego transferre in alium satisfactionem ex thesauro mihi applicatam; deberet enim prius fieri mea, ut possim illam transferre: eo autem ipso, quòd fiat mea, habet in me suum effectum remissionis pœnæ, qui effectus semel positus auferri non potest, nec redire pœna semel remissa. Si autem nondum est facta mea illa satisfactio, sed solum ius ad illam, quod propter positionem operis iniunctis acquisiui, quod ius transfero ego ad defunctum: ergo iam Pontifex non mihi, sed defuncto ipsi immediatè applicat satisfactionem ex thesauro ex vi iuris, quod ego in eum transtuli: quod videtur esse contra superius dicta, tum, quia hoc iam esset directè, & immediatè concedere defuncto remissionem pœnæ, non indirectè, & secundariò: tum etiam, quia non potest Pontifex dare mihi ius, quo possim eum cogere ad id, ad quod non habet potestatem: quare, si ipse non

potest dispensare thesaurum pro non subditis, non poterit obligari ad id faciendum, nec dare mihi ius, quo possim eum taliter obligare.

70. Alter ergo videtur, hoc explicari posse, si dicamus, Pontificem tunc non concedere immediatè Indulgentiam defuncto, nec etiam viuenti, sed solum ex thesauro Ecclesie eleuare opera pia fidelium viuentium, ita ut non solum sint satisfactoria ex opere operantis; sed etiam ex opere operato, si pro defuncto offerantur. Non enim apparet repugnantia in hoc modo dispensandi thesaurum, ut sicut Christus Dominus, qui est supremus illius dispensator, aliquando applicat ex thesauro pretium ad soluendum pro aliquo, ut in Baptismo, qui, licet recipiantur per actum non satisfactorium, sed potius vel in somno, vel per actionem malam venialiter; adhuc ex voluntate Christi confertur solutio totius pœnæ: aliquando verò Christus eleuat satisfactiones nostras, ut ex opere operato, & vltra condignum habeant maiorem effectum, supplendo ex thesauro id, quod deest condignitatis in nostra satisfactione; prout Confessarius nomine Christi eleuat satisfactionem sacramentalem: sic Pontifex, qui est Vicarius Christi, dispensat thesaurum vtroque modo in vtilitatem nostram: aliquando, scilicet, accipiendo ex thesauro ad soluendum pro aliquo, ut quando non petito aliquo opere, concedit Indulgentiam propter causam præteritam, ut sæpè fit: aliquando verò petito opere satisfactorio, quod eleuat ad maiorem effectum satisfactionis supra condignum, sicut Sacerdos eleuat illa opera diuisibiliter, prout successiue fiunt, ita ut singulæ orationes imposte, prout successiue recitantur, successiue afferant fructum aliquem ex opere operato: Pontifex verò, quia vult eleuare totum illud opus ad aliquem effectum determinatum, v.g. ad decem annos Indulgentiæ, vel ad plenariam remissionem, quem effectum difficile esset distribuere inter singulas partes illius operis: ideo eleuat totum opus per modum vnius, & indiuisibiliter, ut in vltima parte habetur totus effectus. Qui etiam modus eleuationis non videtur repugnare, ut constat in opere martyris; quod est satisfactorium ex se, & rursus eleuatur à Deo ad maiorem effectum supra condignum, scilicet ad remissionem totius pœnæ, pro qua satisficit ex opere operato: eleuantur tamen indiuisibiliter, ita ut totus effectus correspondeat toti operi per modum vnius.

71. Supposita ergo possibilitate huiusmodi eleuationis, videntur facillè omnia componi, si dicamus, Summum Pontificem, quando concedit Indulgentiam pro defunctis; ita eleuare opus bonum, & satisfactorium, quòd exigit ab aliquo viuente, ut possit habere effectum satisfactionis vltra condignum. Eleuat autem, non diuisibiliter, sed indiuisibiliter totum opus, ut in fine operis datur eius fructus ex opere operato. Tunc autem non potest, qui Indulgentiam lucratur, retinere sibi illius fructum, quando determinatè conceditur pro defuncto: quia Pontifex non eleuauit ad illum effectum satisfactionis maioris, nisi tale opus bonum, quod pro defuncto offeratur: si autem non offeratur pro defuncto, iam non est illud opus, quod Pontifex eleuat. Cum ergo potuisset Pontifex eleuare omnia opera satisfactoria Petri, quæ hoc mense fecerit, ut habeant maiorem satisfactionem ex opere operato; quo casu etiam illud, quod pro defuncto offerretur, habere maiorem satisfactionem, quæ prodesset defuncto, cui totum illud opus applicaret ab operante: sic potest

tuit Pontifex non eleuare omnia opera; sed aliqua, nempe, illa, quæ defunctis applicarentur ab operante; quæ opera sic eleuata antecedenter, & ab operante applicata defuncto illi affunt totum suum fructum satisfactionis per modum suffragij: nam, licet dixerimus *supra*, disp. 26. sect. 1. non posse regulariter aliquem applicare alteri partem satisfactionis sibi obuenientem ex opere operato; id tamen intelligitur de satisfactione; quæ determinatè applicatur ipsi: tunc verò loquimur de satisfactione, quæ annectitur ipsi operi supra condignitatem suam; non tamen determinatè pro ipso operante, sed ad modum satisfactionis, quam habet ipsum opus ex opere operantis.

72.

Denique contra hunc modum explicandi non procedunt, quæ contra alios apponebamus. Nam in primis Pontifex non dispensat thesaurum directè, & immediatè pro non subditis, sed pro subditis, quorum satisfactiones directè eleuat ad maiorem valorem, qui maior valor, per se loquendo, est in bonum ipsorum subditorum: quia per accidens est, quòd alicuius operis valor sit in utilitatem defuncti in aliquo casu: per se autem vtile est subdito, quòd eius satisfactiones possint habere maiorem valorem, atque idè quòd vniuersaliter possit Pontifex eas eleuare. Sicut œconomus, qui solum potest dare pecunias domini ad providendum domesticis; vel Gubernator, qui solum potest distribuere triticum inter ciues: possunt tamen dare pecunias domestico, quando scitur, quòd vult eas ad subueniendum extraneo, cui illa promisit; vel triticum dare cui petenti, quando scitur, quòd vult dare peregrino, cui illud, etiam promisit: nam potestas illa œconomi, & Gubernatoris respicit solum actum ipsam secundum se, & prout sic est in utilitatem subditorum, licet in hac circumstantia potius redundet in alterius utilitatem. Sic Pontifex potest eleuare hoc opus subditi ad maiorem valorem: quia hæc eleuatio secundum se est vtilis subdito, licet in hac circumstantia sit potius vtilis defuncto, cui vult subditus applicare totum illud opus cum suo valore. Adde, videri etiam, quòd sit aliquo modo in utilitatem subditorum maior ille valor suæ satisfactionis: quia non solum est vtile fidelibus posse liberari à suo debito pœnæ; sed etiam habere satisfactiones maioris valoris, quibus aliis possint subuenire: cum hoc ipsum sit maior quædam actiuitas, & virtus in satisfaciendo. Sed quidquid de hoc sit, sufficit prima illa ratio, vt possit Pontifex eleuare illa opera propter maiorem utilitatem, quæ ex tali eleuatione resultat, per se loquendo, subdito; licet per accidens in aliquo casu non resultet.

73.

Constat etiam, quomodo non possit ille, qui Indulgentiam pro defuncto lucratur, retinere illam sibi, cum non sit eleuatum eius opus ad maiorem valorem, nisi tunc, quando illud pro defuncto offert. Constat præterea, quomodo non possit Indulgentia concedi defuncto, nisi interueniente aliquo viuo, cuius opera bona eleuentur ad maiorem valorem satisfactionis, quam possit defuncto applicare modo explicato. Constat denique, quomodo fructus ille non debeat prius fieri meus, ita vt applicetur mihi, ad hoc, vt ego eum possim defuncto applicare: sed debet fieri meus in actu primo; sicut satisfactio est mea, quatenus possum illam ponere, & non ponere: sic valor ille est meus, quatenus possum ponere, & non ponere satisfactionem eleuatam ad maiorem valorem.

74.

Ex dictis verò possumus iam multa alia inferre. Primò, in lucrante Indulgentiam pro defuncto requiri intentionem determinatam lucrandi illa pro

defuncto: sicut enim requiritur intentio determinata ad applicandum proprium suffragium defuncto; sic requiritur ad applicandam ei Indulgentiam, quæ solum potest ei aduenire per modum suffragij. An verò sufficiat intentio habitalis, vel requiratur virtualis; constat ex iis, quæ diximus in simili de intentione requisita ad applicandum suffragium.

Inferitur secundò, quid dicendum sit de statu gratiæ, an requiratur in eo, qui lucratur Indulgentiam pro defuncto P. Suarez *sect. 3.* negat: quia, cum Pontifex in eius sententia sit, qui immediatè, & directè concedit defuncto Indulgentiam, & solum requiratur opus pium ex parte viuentis, vt conditio: non est, cur in eo exigatur status gratiæ. Nos autem consequenter ad supradicta debeamus dicere, requiri, quod est magis commune, & iuxta fidelium sensum. Ratio autem est: quia Indulgentia defuncto acquiritur solum indirectè, quatenus opera alicuius viuentis eleuantur ad maiorem valorem satisfactionis ex opere operato: ad hoc autem necesse est, quòd ipse operans sit capax illius valoris, & fructus, diximus enim, hanc eleuationem procedere à potestate Pontificis, quæ per se ordinatur ad utilitatem subditi: ergo potestas illa est ad eleuanda opera subditi capax, & potens frui illo beneficio, quo frui non potest, dum est sine gratia propter incapacitatem lubiecti.

Petes, an requiratur status gratiæ, quando sit opus iniunctum, an solum in fine illius. De hoc dicturi sumus *sect. seq.* circa requisita ad Indulgentias pro viuis. Nunc breuiter dico, sicut in illis sufficit status gratiæ in fine operis iniuncti, sic etiam sufficere in Indulgentia pro defunctis. Cum enim status gratiæ solum requiratur, vt subiectum sit capax, & aptum, vt in eius utilitatem possint eius opera eleuari, sufficit hæc capacitas tunc, quando eleuatio allatum erat fructum, licet in discursu operis non esset capacitas: sic enim martyrium causat hunc effectum remissionis completæ totius pœnæ, licet patiens non esset in gratia, dum actu patitur; si tamen sit in gratia vltimo instanti. Similiter ergo possunt opera nostra eleuari à Pontifice habito solum respectu ad tempus, quo effectus Indulgentiæ confrendus sit: quare eodem modo prodesse poterunt defunctis. Vnde obiter nota, quando conceditur Bulla Cruciatæ pro defunctis, eum, qui illam accipit, debere esse in statu gratiæ, quando illam accipit: quia illud est vltimum, & vnicum opus requisitum ad Indulgentiam, quæ applicatur defuncto, nempe contributio, & elargitio illius elemosinæ, qua facta obtinetur Indulgentia plenaria pro illo defuncto pro quo accipitur Bulla. Non est autem eadem ratio de Bulla Cruciatæ, quæ accipitur pro viuis: quia Indulgentia non obtinetur, quando accipitur; sed postea, quando implentur alia ibi requisita ad Indulgentias lucrandas; vel quando applicatur Confessario semel in vita, & semel in articulo mortis prout ibi explicatur. An verò requiratur, quòd opus, quod pro defuncto fit sit opus bonum, & honestum; an verò sufficiat recitatio, v. g. iniuncta, licet hæc sit peccaminosa, constat ex dicendis *sect. seq.* de Indulgentia pro viuis: est enim eadem ratio.

Inferitur tertio, eodem modo, quo conceditur Indulgentia indirectè defunctis, posse etiam dari Catechumeno, vel amenti: cum enim non attendatur ad eius personam, an sit subditus; sed ad illum, cui directè, & immediatè datur: cur non poterit concedi Indulgentia eleuando opera subditi ad tantum valorem cum facultate, vt possit

Requiratur intentio in lucrante pro defuncto.

75. An status gratiæ requiratur.

76. An opus sit opus iniunctum.

77. Requiritur opus bonum & honestum.

78. An opus sit opus iniunctum.



ha opera applicare cuilibet alteri, sine defuncto, sine non baptizato; sicut posset applicare suas satisfactiones? Posset quippe homo minus ieiunare pro Catechumeno, vel pro amente, applicando eis suam satisfactionem, si sint in statu gratiae: ergo poterit etiam ex facultate Pontificis applicare eisdem sua opera cum valore adiuncto ex elevatione ad maiorem remissionem poenae. Vnde posset etiam ex eadem facultate lucrari Indulgentiam pro aliis baptizatis quicumque illi sint: communiter tamen non conceditur facultas lucrandi Indulgentias pro aliis viventibus: quia, cum ipsi possint sibi etiam subvenire, non expedit fouere eorum pigritiam, ut neque satisfacere, neque etiam Indulgentias pro se lucrari curent.

78. *An opus ipsius debet offerri pro defuncto.*  
 Maior difficultas esse potest, an, quando conceditur Indulgentia pro defuncto visitantibus talem Ecclesiam, vel recitantibus, aut ieiunantibus, &c. necesse sit, offerre pro defuncto satisfactionem etiam ex opere operantis, quam affert illud opus; an possimus illam nobis retinere, & Indulgentiam applicare defuncto Distinguedum videtur cum Suarez *sect. 4. num. 3.* nam, si concedatur liberatio animae Purgatorii, pro qua dicatur Missa, vel recitetur Corona, &c. tunc necesse erit substantiam operis pro anima etiam offerre: quando vero solum dicitur, quoties dicit Coronam, vel Psalmum, &c. liberabit animam Purgatorii; verisimile est, non requiri talem applicationem operis: non enim apparet, cur non possim ego dividere fructum illius operis, & partem mihi retinere; partem autem aliam, nempe, quae provenit ex opere operato propter operis elevationem, applicare defuncto. Quod confirmari potest ex paulo ante dictis: quia, si opus fiat ferè totum in peccato, & ultimo instanti operans iustificetur, lucratur Indulgentiam defuncto; tunc autem non applicatur defuncto satisfactio ex opere operantis, cum nulla, aut ferè nulla sit: ergo illa satisfactio non requiritur ad fructum Indulgentiae defuncto obtinendum.

Ultimò, reiiciendum est, quod aliqui dixerunt, requiri ad effectum huius Indulgentiae, quod anima defuncti eam acceptet. Hoc autem bene reiicit Suarez *dist. 1. sect. 3. n. 10.* & ex dictis refellitur: quia, cum hoc fiat per modum suffragij, non magis requiritur talis acceptatio ex parte illius, pro quo offertur, quam requiritur ad effectum suffragiorum, ad quae non requiritur talis acceptatio; sed ignorant etiam, acquirunt fructus Sacrificij, vel ieiunij, pro eo oblato, ut vidimus *disp. 26. sect. 3.*

SECTIO VI.

De requisitis ex parte illius, qui Indulgentiam lucratur pro seipso.

79. *Requiruntur character baptisimalis.*  
 Primò requiritur character baptisimalis: quia Pontifex non potest, ut diximus, dispensare thesaurum, nisi iis, qui pertinent ad ouile, cuius est constitutus Pastor. An verò, & quomodo possint indirectè Catechumeno defuncto, aut etiam vivo, Indulgentiae communicari per modum suffragij, diximus *sect. praeced.*

Secundò requiritur, quòd sit ratione utens: quod dupliciter potest intelligi. Primò, quòd haberit aliquando rationis usum: & in hoc sensu non potest esse dubium, quia Indulgentia est ad tollendum reatum poenae temporalis, quem habere non potest, qui non commisit aliquando peccatum actuale. Secundò, potest esse sensus, quòd habeat usum rationis, tunc, quando effectum Indulgentiae

P. Ioan. de Lugo de Penitentia.

gentiae consequitur: & hoc etiam est certum non requiri: nam, si ieiunavit ad obtinendum Iubilaeum, finito ieiunio Indulgentiae fructum consequitur, licet tunc actu dormiat: ergo, licet tunc incurrisset delirium ex febre, non minus Indulgentiam consequetur: sufficit enim voluntas praeterita non retractata.

Dubitari tamen circa hoc potest, an, si aliquis post rationis usum in amentiam incidisset, possit ei postea Indulgentia concedi, & applicari immediate. Ex vno enim capite videtur id non posse fieri: quia Indulgentia est per modum privilegij, quod ignorant non acquirunt, sed requiritur scientia, & acceptatio privilegij: & licet detur à Pastore, ut pastus, & tamen pastus voluntarius, qui voluntate percipi debet. Vnde hoc supponere videntur ij, qui dicunt, non lucrari Indulgentias eum, qui illas ignorat, licet faciat opera omnia iniuncta: quod docent Emman. Rodriguez *in expositione Bullae Cruciatæ, § 8. num. 9.* & Aegidius de Trullench *in eandem Bullam Cruciatæ, lib. 1. §. 6. dub. 2. n. 5.*

Fateor tamen me non invenire rationem continentem ad id negandum, & ad dicendum, quòd necesse sit scire, vel intendere lucrari Indulgentiam. Quare id negavit Laurentius Portel *in Additionibus ad dubia regularia, verbo Indulgentia, num. 7.* ubi, testatur se eam sententiam accepisse à Patre Ludonico Molina; nostrae Societatis, qui eam docuit. Probat autem exemplo satisfactionis ex opere operantis, quam, licet aliquis non intendat, sed ignoret omnino; acquirat tamen per exhibitionem bonis operis: ergo elevato eodem opere ad maiorem valorem satisfactionis ex opere operato ab habente potestatem, absque scientia, vel intentione poterit obtineri totus eius effectus. Quod rursus confirmari potest: quia fructus suffragij mihi ab alio applicati acquirunt mihi ignorant etiam, & non intendenti: quòd non solum verum est in fructu ex opere operantis, ut, si aliquis pro me ieiunet, sed etiam in fructu ex opere operato, ut, si alius pro me offerat Sacrificium: ergo idem dicendum erit de fructu Indulgentiae, per quam Pontifex offert, & applicat pro alio partem necessariam ex communi thesauro, cuius dispensator est: cur enim minus proderit mihi ignorantis satisfactio Christi per Indulgentias applicata, quam si applicetur per Missae Sacrificium?

Vnde ad rationem contrariam responderi potest, Indulgentiam non esse ex iis privilegijs, quae debeant executioni mandari per ipsum privilegatum; sed potius esse solutionem pro illo, ad quam ipse videtur se passivè habere: quare, sicut potes solvere pecuniam pro Petro ipso ignorante; sic potest Pontifex ex communi thesauro solvere pro debito tuo, te etiam id ignorante; quia causa passiva non concurrat liberè, aut voluntariè; ut constat. Non ergo videtur neganda saltem potestas in Pontifice, si velit hoc modo Indulgentias concedere, quas lucratur etiam ignorantes. Verisimile autem est, eam esse Pontificis intentionem de facto: saepe enim Indulgentiam, & benedictionem moribundo iam senibus destituto concedit: aliquando etiam omnibus praesentibus in Basilica post Missam à se celebratam Indulgentias concedit; licet non omnes ibi praesentes id audiant, vel sciant: ergo eadem intentio potest communiter praesumi, dummodo non exigantur certa opera pro aliqua speciali necessitate applicanda: v. g. orationes pro auxilio divino implorando contra talia pericula imminencia: non potest enim opus fieri cum tali intentione sine aliqua illius notitia.

C C c Tertiè

80. *An notitia Indulgentiae.*

81.

82.

83.  
An status  
gratia.

Tertio requiritur status gratiæ in lucrante indulgentiâ: nam, sicut aliena iustitia non profunt iis qui non sunt in gratiâ, sic nec Christi, vel Sanctorum satisfactiones per Indulgentias applicatæ. Ratio autem est: quia pro eo statu merentur propter peccatum mortale, ut nulla satisfactio pro illis acceptetur: & quia omnis pœna, etiam ex veniali remisso quoad culpam, pro eo statu debet esse æterna, cuius reatum Indulgentia non potest expiare. Requiritur autem gratia, non quidem toto tempore, quo fiunt opera ad Indulgentiam requisita; sed solum in fine, quando eius effectus applicandus est ex praxi Ecclesiæ, quæ ad Indulgentiam solet exigere ieiunia, & confessionem, supponendo non præmitti, sed subsequi confessionem, quæ sufficit in fine hebdomadæ ad lucrandum Iubilæum, ac per consequens frequenter ieiunia non fiunt in statu gratiæ.

84.  
An reuiviscat effectus Indulgentiæ, quando requisita facta sunt in peccato.

Dubitari potest, an, si omnia opera requisita fiant in peccato, postea, quando homo, transacto illo tempore, iustificatur, reuiviscat effectus Indulgentiæ. Negant Suarez cum aliis *disp. 52. sect. 2. num. 12. & seqq.* Affirmant Palud Syluester, & alij, quos affert, & sequitur Henriquez *lib. 7. de Indulg. cap. 9. num. 1.* Et quidem, loquendo de potestate, non videtur posse negari. Erit tamen questio de nomine, an Indulgentia concedatur tunc a Pontifice ante positam confessionem, vel contritionem, suspensio solum eius effectus usque ad iustificationem; an verò ipsa confessio, vel contritio sit tunc vnum ex operibus requisitis, quo posito, conceditur Indulgentia. De re enim certum videtur, quòd Pontifex potest differre effectum Indulgentiæ usque ad primam iustificationem sequentem. An verò de facto talem intentionem habeat, verius videtur, nisi explicet hoc in ipsa Indulgentia, mentem Pontificis non esse, differre, neque effectum, neque Indulgentiam; sed peti, v.g. ad eius valorem, quòd confessus, vel contritus visitet talem Ecclesiam, & lucratur Indulgentiam: ergo statim eam concedit, quæ si inuenit subiectum incapax, caret effectu. Sicut, si offeras ieiunium hodiernum pro aliquo, & ipse hodie sit in peccato, non acceptatur applicatio pro eo. Sic, si Pontifex hodie applicet satisfactionem ex thesauro pro aliquo, quò hodie non est capax, applicatio non acceptatur. Aliud esset, si explicaretur, concedi Indulgentiam visitanti hodie Ecclesiam, ita ut consequatur Indulgentiam, vel hodie, vel cum primùm fuerit in gratiâ: tunc enim intentio esset non applicandi hodie satisfactionem Christi, sed postea, quando ille homo fuerit capax: qui modus concessionis raro, vel nunquam est in usu; & merito, ut diligentius procurent mundare conscientiam, qui Indulgentiæ fructum obtinere volunt.

85.  
An opera honesta in peccato, & si sunt peccata facta, proficiant ad Indulgentiam.

Dubitari etiam potest, an si opera ad Indulgentiam requisita fiant non solum in peccato, sed etiam cum peccato, quia vitiantur ex aliquo sine malo, proficiant ad obtinendam Indulgentiam, si in fine operum sit iam homo constitutus in gratiâ. Videtur enim non prodesse: quia opera illa exiguntur, & eleuantur, ut satisfactoria sunt: non sunt autem satisfactoria, si non sint bona, & honesta. Contrarium tamen verius videtur consequenter ad id, quòd diximus *suprà, disp. 25. sect. 3. in fine*, opera iniuncta à Confessione prodesse ad satisfactionem ex opere operato, etiam si in se ex aliquo sine vitentur. Ratio est: quia sufficit, quòd illa opera ex se sint satisfactoria, ad hoc ut possint iniungi, & eleuari ad effectum satisfactionis ex opere operato. Et quidem hic esse videtur fidelium sensus: nam, si aliquis ex fine malo venialiter

accipit Bullam Cruciatæ pro defuncto, durum esset dicere, quòd Bulla illa nihil defuncto proficit. Item, quando ad Iubilæum lucrandum exigitur elemosyna, & visitatio Ecclesiæ, nemo dixit, non prodesse ad Iubilæum lucrandum, si aliquis ex fine vanæ gloriæ elemosynam publicè dedit, vel Ecclesiam visitauit. Ratio denique ex parte concedentis esse potest: quia licet illud opus in individuo non sit bonum; in genere tamen, & ex se est bonum, & ex eo redundat gloria Dei, utilitas communis, quatenus multi saltem illa opera honestè faciunt: quæ publica utilitas est causa sufficiens ad dandam Indulgentiam: etiam, in quibus illud in individuo vitium. Alinnde tamen constat ex proximè dictis, non requiri, quòd illa opera sint satisfactoria ex opere operantis in individuo: quando enim fiunt in peccato, non sunt satisfactoria: & tamen ea opera eleuantur ad satisfactionem ex opere operato, si in fine ultimi homo sit in gratiâ. Quare hanc partem tenet Suarez cum aliis *dicta disp. 52. sect. 6.* contra alios, qui contrarium docuerunt.

Quartò constat ex *suprà* dictis, non semper debere exigi aliquod opus pium ad lucrantiam Indulgentiam, quando conceditur pro viuis, ut constat ex usu Pontificum, qui sæpe, ut diximus, concedunt Indulgentiam moribundis benemeritis de Ecclesiâ, & sæpe alias. Ratio autem est: quia causa iusta, quæ ad dispensationem requiritur, non alligatur ad solum opus pium faciendum, cum possit esse causa iusta ex titulo gratitudinis, remunerationis, solatii, medicinæ, & aliis similibus.

Quintò constat, opus pium, quòd exigitur, non debere semper esse opus externum: si enim potest absque vilo opere iniuncto concedi, à fortiori poterit propter actum internum: atque ita soler aliquid quando concedi iis, qui examen conscientie cum actu contritionis faciunt; vel iis, qui in mortis articulo, si ore non possunt, corde saltem Iesu nomen inuocauerint.

Sextò constat, opus ad Indulgentiam iniunctum non posse per alium poni: ut, si iniungitur ieiunium, non sufficit facere, quòd alius meo loco ieiunet, quòd probat Suarez *dicta disp. 52. sect. 7.* Et ratio est clara: quia facere, ut alius ieiunet, vel recitet, non est ieiunare, vel recitare. Quando tamen petitur elemosyna, sufficit illam per famulum facere: quia ille talis verè dat elemosynam, cum iam det pauperi aliquid de suo: per accidens autem est, quòd detur per manus proprias, vel alterius.

Difficultas esse potest circa hoc, quando aliquis sumit Bullam Cruciatæ pro alio amico, cui illam dat, quomodo iste, cui datur Bulla, obtineat Indulgentias, cum ipse nullo modo det illam elemosynam, quòd est opus iniunctum ad illam Indulgentiam. Respondetur, illum, qui Bullam pro me infcio accipit, dedisse elemosynam meo nomine, quasi vtilem negotij mei gestorem: quòd ego postea ratum habeo, & debitor fio illius elemosynæ meo nomine datæ, quòd debitum ille benevolentie causa mihi remittit: atque adeo iam ego censor illam elemosynam dedisse. Vnde infero, non posse Religiosum Bullam acceptare ab amico sine licentiâ Prælati, qualis requiritur ad elemosynam faciendam, & ad accipiendam remissionem postea illius debiti: ut bene docuit Emman. Rodriguez in *expositione Bullæ, §. 9. num. 23. & §. 12. n. 15.* Meretur de accipiendâ Bullam.

Vnde obiter infero primò, licet meretur validdè Bullam accipiat erogando pecunias turpiter acquisite,

acquiritas, quia illa verè sunt suæ; furem tamen erogando pecunias non suas, sed furto acceptas, non accipere Bullam validè: quia non dat verè elemosynam, cum non transferat dominium illius pecuniæ, quod ipse non habet, vt contra Rodriguez notauit benè cum aliis Diana tom. 1. tract. de Bulla Cruciatæ, resol. 101.

88. Bulla pro alii-  
qui accepta, qui noluit eam  
acceptare, an  
possit alteri  
applicari.  
Infero secundò, si Petrus Bullam pro me accipiat; & ego, quia iam aliam habeo, nolim eam accipere, non posse à Petro, nec à me illam alteri applicari: quidquid dicat Villalobos, quem affert, & sequitur idem Diana ibi resoluit. 95. qui tamen non videtur satis consequenter loqui, cum prius dicit, si amicus sumat pro me Bullam, quam ego, quia aliam habeo, accipere nolo; posse me illam alteri applicare: & paulò post cum Vega, & Medina dicit, Petrum Bullam, quam pro me accepit, me illam nolente, non posse alteri applicare: quia iam accepit pro me, & non pro alio: quæ ratio à fortiori procedit in priori casu. Ratio ergo in utroque casu est: quia elemosyna facta est nomine meo: vnde non potest alius, postea reatum habere, quod suo nomine non est gestum, iuxta communem regulam iuris: ergo non potest alius fieri acceptor illius Bullæ, etiam per rati- habitationem.

89. An pars operis  
profecta ad  
lucrandam  
Indulgentiam.  
Septimò constat, eum, qui exhibet dimidiam operis iniuncti pro lucranda Indulgentia, non lucrari dimidiam illius: quia Indulgentia, vt dicebamus, non conceditur dimisibilibiter pro diuisibilitate operis; sed indiuisibilibiter pro toto opere: & in hoc differt à satisfactione sacramentali, quæ elenatur dimisibilibiter: atque idèd, qui implet dimidiam partem penitentia: impositæ, obtinuit iam partem satisfactionis sacramentalis illi parti correspondentem.

His positis. Dubitatur primò, an quando exigitur confessio sacramentalis, illa exigatur, etiam si non sit conscientia peccati mortalis. De hoc dicemus secl. seq.

90. An pars operis  
sufficiens ad  
duas Indulgentias.  
Dubitatur secundò, an eodem opere possit quis lucrari diuersas Indulgentias diuersis viis concessas: vt, si habeat duo grana benedicta diuersis benedictionibus, & singula habeat, quòd dicendo semel orationem Dominicam obtineatur Indulgentia vnus anni, an lucratur duos annos, si semel tantum recitet orationem illam Dominicam, P. Suarez disput. 52. secl. 10. num. 9. negat: quia ad singulas Indulgentias requiritur causa diuersa; & idèd Pontifex exigit opus factum ex intentione peculiari lucrandi illam Indulgentiam: quam sententiam, vt veram, supponit Luthus Turrianus in select. part. 2. disput. 31. dubio 64. quòd intelligunt, nisi variæ illæ Indulgentiæ concessæ essent per modum vnus per aliam tertiam, vt cum visitanti talem Ecclesiam conceduntur omnes Indulgentiæ omnium Ecclesiarum vbis: tunc enim vnica visitatione posset illas omnes lucrari:

91. Distinguedum tamen videtur, nam, si sermo sit de variis indulgentiis plenariis, variis titulis concessis; tunc non videtur necessarium lucrari vtramque, cum non possit esse duplex plenaria, siquidem per vnã remittitur totum debitum, si verè illam lucratur. Quia tamen posset contingere, quòd causa non esset sufficiens ad tantum effectum remissionis, vel propter causæ debilitatem, vel propter multitudinem peccatorum, & debitorum, quibus aliquis grauatur; tunc verisimile videtur, quòd possit vtraque concessio coniungi ad operandum effectum, quem singula non possunt: quia ex vtraque concessione, quæ causas habuit diuersas, poterit aliquando integrari causa P. Ioan. de Lugo de Penitentia.

sufficiens ad effectum integrum: vt, si altera propter necessitates Ecclesiæ præsentis concessa fuit; altera propter cultum talis, vel talis Sancti. Quare idem cum proportione dici potest de Indulgentiis non plenariis, quando singula non possunt operari totum effectum, quem promittunt: quòd tunc etiam possit vtraque simul concessio concurrere ad producendum, non effectum duplicem, sed vnicum saltem integrum, quem singula promittunt.

Quando verò singula non plenariè operari possunt suum effectum integrum, verius videtur cum prædictis Auctoribus, non posse vno, & eodem opere dupliciter effectum: quia, licet concessiones sint diuersæ; res tamen concessa est vna, & eadem, scilicet, vnus annus Indulgentiæ, quoties visitaueris talem Ecclesiam. Sicut, si haberes priuilegium liberandi te ab onere recitandi vna die Officium, quoties recitaueris Coronam Virginis, & rursus hoc idem priuilegium alia via, vel per communicationem obtineres; non tamen satisfaceres pro Officio duorum dierum, dicendo vnã Coronam: quia vtraque concessio tendit ad idem; & bis tibi concessum est liberari per vnã Coronam à debito recitandi Officium vnus diei. Item, si per duas diuersas concessiones obtinisses posse liberari à debito restituendi centum nummos creditoribus incertis, quoties dederis quatuor nummos pro elemosyna; non liberaris certè à debito ducentorum nummorum, dando semel elemosynam quatuor nummorum: quia vtraque illa concessio tendit ad idem, nempe, ad liberandum à debito centum nummorum pro quatuor. Sic ergo vtraque concessio Indulgentiæ vnus anni pro recitatione vnus Coronæ tendit ad idem; quare habebis quidem duplici titulo, atque idèd certius liberationem à pena vnus anni, non tamen habebis posse liberari à pena duplicis anni pro vna Corona: quia hoc numquam tibi concessum fuit.

Aduertè tamen, hoc non procedere, quando plures Indulgentiæ eadem die diuersis Ecclesiis concessæ sunt iis, qui post Confessionem, & Communionem eas visitauerint, & ibi orauerint: tunc enim vnica Confessio, & Communio sufficit ad lucrandam vtramque Indulgentiam, vt notauit Turrianus ubi supra, & Diana 3. tom. tractatu 4. miscell. resol. 66. quia Confessio, & Communio non videtur exigi directè; sed præsuppositiue ad maiorem dispositionem subiecti ad finem intentum. Vnde idem dicendum esset, licet secunda Indulgentia non eadem die; sed sequenti, vel intra debitam distantiam occurreret. Aliiter tamen dicendum putarem, quando Communio exigeretur directè, prout in quibusdam Iubilæis solemnioribus exigi solet Communio, ieiunium, elemosyna, ac preces intra eandem hebdomadam: aut, quando conceditur Indulgentia iis, qui singulis mensibus in tali Ecclesia communicauerint, tunc enim vnica Communio non posset deseruire ad duplicem Indulgentiam similem: posset tamen deseruire illa eadem Communio ad aliam Indulgentiam, ad quam Communio non directè, sed præsuppositiue exigeretur.

Dubitatur tertid, an, quando Indulgentia concedatur penitentibus, & confessis, seu contritis, & confessis, requiratur necessariò confessio, an sufficit contritio perfecta. Prima sententia requirit Confessionem. Ita Durand. Adrian. & Caiet. apud Suarez disput. 52. secl. 1. num. 10. Secunda sententia dicit, sufficere contritionem, quam sequitur

62.

93.  
Plures In-  
dulgentia  
eadem die  
vnica Con-  
fessione, &  
Communione  
lucrari pos-  
sunt.

94.  
An requira-  
tur Confessio,  
quando In-  
dulgentia con-  
ceditur pen-  
itentibus &  
confessis: seu  
contritis &  
confessis.



idem Suarez *num. 12.* cum Paludano, Gersono, & alijs, quos afferit: quod probabile est, quia intra subiectam materiam possunt illa verba intelligi distributim, ut si diceret, *cinibus, & peregrin. i.* vult enim tunc Pontifex utriusque concedere, dum vel contritionem, vel Confessionem præmittant. Quod autem aliqui addunt, quando Confessio determinatè exigitur, sufficere Confessionem tempore debito factam, etiamsi tunc sit conscientia peccati mortalis, bene impugnat idem Suarez *ibi num. 11.*

95.  
An possit obtineri factus Indulgentia per idē opus.

Dubitatur quartò, an sæpius repetito opere inuncto, sæpius obtineri possit eadem Indulgentia, ut, si visitanti talem Ecclesiam concedatur Indulgentia, an ter visitans eadem die, toties lucretur Indulgentiam. Respondetur, quando Indulgentia est perpetua visitantibus, v. g. talem Ecclesiam, vel recitari tunc talem orationem; obtineri poterit sæpius si sæpius repetatur idem opus. Ita Suarez *disp. 57. sect. 1. n. 7.* Bonacin *in præfati, disp. 6. de Sacram. q. 1. punct. 5. n. 32.* qui alios referunt. Aduertunt tamen, debere intelligi, dum humano modo actio repetatur: nam, si quis ingrediendo, & egrediendo milles intraret eandem Ecclesiam, non lucraretur milles Indulgentiam. Ratio autem esse potest: quia illa moraliter non est alia visitatio; sed eadem moraliter continuata. Aliud esset, si egrediens homo, visito Ecclesiam, & in reditu iterum eam visito; illa enim est duplex visitatio moralis. Cum autem Indulgentia non sit concessa pro vna solum vice in vita, intelligenda est toties, quoties.

96.

Quando verò Indulgentia conceditur pro tali die, aliqui dicunt, posse etiam sæpius obtineri. Ita Angelus, & Rosella apud Suarez *ibi supra.* Quod idem docere videtur Villalobos, & alij apud Dianam, qui eos sequitur *tom. 1. tractat. de Bulla Cruciatæ, resol. 104.* Alij negant: Suarez *loco citato,* & plures, quos refert, & sequitur Bonacina *ibi supra,* & mihi etiam placet de Indulgentia pro vna die concessa. Quando tamen conceditur pro pluribus diebus, si id fiat propter commoditatem fidelium, qui non possunt eadem die concurrere, idem dicendum erit. Si verò id fieret ad fouendum concursum per totam octauam, v. g. & celebritatem in illa Ecclesia, verisimile est, singulis saltem diebus posse de nouo illas Indulgentias obtineri.

97.  
An sufficiens extra Ecclesiam orare.

Dubitatur quintò, an quando propter concursum non potest aliquis ingredi Ecclesiam, sufficiat eam visitare extra portam, & ibi orare ad consequendam Indulgentiam concessam illam visitantibus. Negant Zanardus, & alij apud Dianam *loco citato resol. 103.* Concedit tamen Suarez *disp. 52. sect. 1. num. 7.* & alij, quos afferunt, & sequuntur Bonacina *ibi supra, num. 26.* & Diana *loco citato:* quia ille dicitur moraliter visitare Ecclesiam, & in ea orare, præsertim cum cœmeterium in fauorabilibus nomine Ecclesiæ comprehendatur.

98.  
Quid de visitatione altarium?

Quando verò exigitur visitare quinque altaria in aliqua Ecclesia, non sufficeret extra portam illa visitare, ut notat Nufius in *3. part. tom. 2. tractatu de Bulla 8. 10.* quia, licet ille dicatur moraliter visitare Ecclesiam; non tamen dicitur moraliter visitare hoc, & illud altare. An verò ad visitanda altaria requiratur motus corporis, quo aliquis singula seorsim adeat, affirmant Rodriguez: negarunt Vega, Villalobos, Azorius, Grassius, Henriquez, & alij, quos afferunt, & sequuntur Diana *ibi supra, resol. 102.* & Bonacina *num. 25.* Quod verum credo, si in eo loco, & situ sis, in quo moraliter censeris potes te orare ad quodlibet ex illis altaribus. Vnde non sufficit esse intra Ecclesiam, & animo conuerti ad tale altare: imò, etiamsi sis in loco apto, ut in medio Ecclesiæ; vellem ta-

men aliquo gesto, vel conuersione capitis, vel corporis, significari conuersionem animi ad singula altaria: nam exigitur visitatio sensibilibus, hoc est, talis actio, quæ exterius significet orationem fieri ad tale altare.

Vltimò dubitari solet specialiter de his, quæ exigi solent ad lucrandum Iubilæum; quod per spatium duplicis hebdomadæ concedere solent Pontifices ob grauem aliquam causam, vel Ecclesiæ necessitatem. De his tamen dicentur in particulari *sect. seq.*

SECTIO VII.

Nonnulla dubia circa ea, quæ exigi solent ad lucrandum Iubilæum.

Non est animus ex professo facere commutationem Bullæ Iubilæi, quod alij fecerunt; sed potissima dubia percurrere, quæ proponi solent, & in quibus potest esse maior difficultas. Plura autem dixi *suprà, disp. 20. sect. 8.* circa facultatem in ijs Iubilæis concedi solitam ad abolendam a referuatis: vbi dictum est, an à peccatis referuatis commissis ob Iubilæi confidentiam absolui possit, & an aliquando à commissis post finitum tempus Iubilæi. Item, an Confessarius, sicut potest commutare alia, possit etiam ipsam Confessionem, & Communionem in alia pietatis opera commutare; & an ei, qui ipsa vltima die secundæ hebdomadæ, mutato proposito, vult lucrari Iubilæum, possint commutari omnia opera in alia, quæ tunc implere possit. Denique, an qui fetia quinta perfecit omnia opera, in quæ commutata sunt ei ieiunia sequentia, & lucratus est Iubilæum, possit die sequenti absolui à peccato referuato demò commisso: quare omnia nunc repetenda non sunt.

His ergo suppositis, sciendum est, in eiusmodi Iubilæis solere quinque opera pietatis exigi. Primum, confiteri Sacerdoti approbato ab Ordinario loci: secundum, ieiunare feria quarta, sexta, & Sabbatho: tertium, visitare certam Ecclesiam, vel Ecclesias, ibique preces fundere pro necessitatibus expressis: quartum, elemosynas pro cuiusque arbitrio elargiri: quintum, Eucharistiæ Sacramentum accipere. Quæ omnia, nisi in specie implentur, vel legitimè impeditis à Confessario commutentur, non obtinetur Indulgentia: quia in his, quæ à libera hominis concessione dependent, voluntas non reputatur pro facto.

Primò ergo dubitatur de confessione, an sit necessaria, si aliquis non habeat conscientiam peccati mortalis, quod confessus non fuerit. Affirmat Th. Säch *lib. 8. de matrim. disp. 15. n. 19.* Nuñus, Acofta, & alij apud Dianam *1. tom. tract. de Bulla Cruciatæ, resol. 107.* Alij tamen probabilius id negant Suarez *disp. 52. sect. 3. n. 6.* & alij innumeris, quos congerit, & sequitur Diana *ibi supra.* Ratio est, quia visus Ecclesiæ est, ut quando præcipit confessionem peccatorum, intelligatur de confessione mortalium, ut constat ex *c. Omnis utriusque sexus* Vbi eadem verba intelliguntur de sola confessione mortalium: ergo eadem formula in Iubilæo posita in eodem sensu intelligenda est, quia sicut peccata simpliciter intelliguntur de mortalibus, ita confessio peccatorum simpliciter intelligitur de confessione mortalium: alioquin, si de venialibus intelligeretur, cur magis hæc, quam illa deberes confiteri?

Secundò dubitatur: si homo iam semel in illa hebdomada ad finem Iubilæi confessus est, & ante hebdomadæ finem in mortalia incidat; an debeat iterum

iterum confiteri , an verò sufficiat habere contritionem ad Indulgentiam lucrandam. P. Suarez dicit scilicet. 3. num. 7. dicit, debere fieri secundam confessionem : imo idem putat dicendum, si post primam confessionem recordatur alicuius peccati, cuius in confessione fuerat oblitus. Vtrumque tamen difficile est, quia in Iubilæo solum exigitur vnica confessio, quæ iam posita fuit : ad effectum autem Indulgentiæ sufficit status gratiæ per confessionem comparatus ; vel, si forte perditus fuit per nouum peccatum, reparatus postea per contritionem. Vnde arguere possumus ex præcepto Ecclesiæ, quo similiter iniungitur confessio annua : & tamen, licet aliquis postea recorderetur de nouo alicuius peccati omisso, vel etiam illud de nouo committit ; non tenetur ex vi illius præcepti iterum confiteri ante finem anni : quia Ecclesiæ vnica confessionem præcipit.

101. An sufficiat confessio sacrilega.

Dubitabit tertio circa hoc, an, si fecit aliquis intra hebdomadam confessionem sacrilegam, sufficiat ad effectum Indulgentiæ habere contritionem ante finem hebdomadæ ; an verò debeat iterum validè confiteri. Prima opinio dicit, non requiritur secundam confessionem. Ita Diana 2. tom. tract. 4. de Sacram. resol. 148. vbi assertit pro se Patrem Henriquez lib. 7. cap. 9. num. 5. Sed Henriquez id non dicit, loquitur enim solum de eo, qui fecit confessionem validam informem : de quo est diuersa ratio, cum verum Sacramentum acceperit. Assertit etiam ibi Fernandez in Exam. Theolog. mor. p. 3. e. 7. §. 8. n. 1. & Bartholomæum à S. Paulo de Iubilæo lib. 4. g. 4. 6. quem non vidi Fernandez verò dicit quidem sufficere confessionem factam in peccato : non tamen dicit sufficere confessionem sacrilegè, & inualidam, de qua est diuersa ratio cum non sit confessio.

103.

Contraria tamen sententia vera est, quam tenent Sanctarellus, Zanardus, Petrus Prost, & Alphonsus de Leone apud eundem Dianam ibi. Probari autem potest ex iis, quæ diximus disput. 16. sect. 6. vbi docuimus, præceptum Ecclesiæ obligare ad confessionem validam ; nec ei satisfieri per sacrilegam, & inualidam confessionem. Similiter ergo, quando eadem Ecclesiæ confessionem exigit, de valida confessione intelligit : nam illa alia non est confessio, sed iterisio. Circa Communionem tamen, illam primam sententiam admitterem, ut licet sacrilega fuerit, non requiratur alia, cum vera fuerit vera, & valida Communio ; licet sine fructu propter obiectionem peccati.

104. An sufficiat confessio sacrilega Dominica sequenti. Verbo V III.

Dubitatur quartò, vtrum confessio possit fieri Dominica sequenti, an debeat fieri intra hebdomadam ante Dominicam. Ratio dubitandi oritur ex verbis Bullæ, quæ hæc sunt : Qui in eadem, vel sequenti hebdomada dictas Ecclesias visitauerint, nec non feria quarta, & sexta, ac Sabbato eiusdem, vel sequenti hebdomada ieiunauerint, atque peccata sua confessi, sequenti scilicet die Dominico, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reuerenter sumpserint, & elemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggererit, fecerint, &c. Sic habetur in Bulla Sanctiss. D. N. Urbani VIII. hoc anno 1636. edita, quæ, quia omnium nouissima est, vtemur. In quibus verbis opera alia, præter vnam Communionem exigi videntur intra alteram ex hebdomadis designandis. Cum ergo hebdomada daretur vsque ad Sabbathum inclusiue, consequens est, ut sicut visitatio Ecclesiarum, vel elemosyna non potest fieri Dominica sequenti, sic nec confessio ; sed sola Communio, quæ ibi excipitur, & permittitur fieri sequenti Dominica. Quare hanc partem teneat Filliucius tom. 1. tractat. 8. cap. 10. P. Ioan. de Lugo de Penitentia.

num. 272. vbi dicit, referri etiam responsum tale Clementis VIII licet permiserit Penitentiaris Sancti Petri, & die etiam Dominica à referuatis absoluerent. Eandem sententiam tenet Portel in dubiis regular. verb. Indulgentia 2. num. 6. & alij non pauci.

105.

Alij in extrema sunt sententia, & dicunt, non solum confessionem, sed alia etiam opera posse fieri sequenti Dominica, & qualibet die sequentis hebdomadæ : ita ut pars operum fieri possit in prima hebdomada ; & pars in secunda ; nec ex vi Bullæ haberi quod omnia debeant intra in eandem hebdomadam fieri. Quod licet probare conatur Bonacina in presenti, disput. 6. quest. 1. punct. 5. num. 54. Hæc tamen sententia in primis difficultatem præsentem non enacuat : remanet enim eadem difficultas de Dominica sequenti post secundam hebdomadam, an in ea possit fieri confessio, cum illa dies sit iam extra vtramque hebdomadam. Deinde supponit fallum ; posse, scilicet, opera indifferenter fieri, partim in prima, partim in secunda hebdomada : hoc enim est contra fidelium praxim ; contra Doctorem mentem, & contra verba ipsius Bullæ, in qua specialiter conceditur, quod Communionem fieri possit, altem die Dominico sequenti post ieiunia. Si autem illa sententia vera esset, non solum die Dominico ; sed etiam feria tertia sequenti post ieiunium fieri posset ; quod tamen est contra prædicta verba, quibus ad summum differtur permittit Communionem vsque ad Dominicam sequentem post ieiunia.

Non possunt diuidi opera inter duas hebdomadas.

106.

Alij ergo dicunt, Confessionem, & Communionem fieri posse die Dominica sequenti, quia dies illa pertinet ad hebdomadam, & complet illam ; quare consequenter dicunt, prima Dominica non posse aliquem absolui à referuatis. Ita respondit P. Ioannes de Salas de hoc consultus. Hoc tamen est contra praxim : nam ipsa die Dominica, qua promulgatur Iubilæum, Confessarij absolute scrupulo absolunt à referuatis, ut restatur Filliucius vbi supra ; & debet ita fieri iuxta Ecclesiæ morem, quæ hebdomadam semper incipit à die Dominica, vnde sequentem diem appellat feriam secundam, quia illa iam est secunda hebdomadæ dies : cum ergo assignet vnam hebdomadam singulis ad lucrandum Iubilæum, debet intelligi de hebdomada Ecclesiastica, quæ semper incipit à Dominica.

107.

Alij ergo dicunt, Dominicam sequentem esse quidem extra hebdomadam præcedentem ; sed tamen eo ipso, quod indultum sit, posse communicare illa die ; indultum intelligi quoad confessionem etiam, quæ Communionem comitatur. Hæc est iam hodie sententia communis, quam tenent Sebastianus Acoſta, Soto, Nauarrus, Henriquez, Rodriguez, Reginaldus, Villalobos, Sanctarellus, Sa, Vega, Mollesius, & alij, quos refert, & sequitur Diana 1. tom. tract. 1. miscel. resol. 28. qui dicunt, hoc declaratum fuisse à Gregorio XIII. de hoc interrogato. Quod ego etiam satis probabile iudico, non solum propter auctoritatem tot Doctorum, sed etiam propter vltim fidelium, quorum magna pars in hac Vrbe Romæ die Dominica confitetur ad lucrandum Iubilæum : quam consuetudinem ignorare non possunt Pontifices, & eorum Officiales, qui Bullam componunt. Denique verba ipsa Bullæ non cogunt ad dicendum, quod sola Communio differri possit ; imò potius idem indicant de confessione, quam per modum vnius cum Communionem coniungere videntur ad hunc effectum ibi : Atque peccata sua confessi, sequenti scilicet die Dominico Eucharistiæ sumpserint.

Verbo V III.

CCC ; Que

Quæ verba, cum vtrumque sensum habere possint, & consuetudo in hoc sensu ea intellexerit; quam consuetudinem Pontifex ignorare non potest; non est, cur ad alium sensum magis strictum alligare velimus prædictam clausulam. Difficile enim est homines rusticos, & laboratores inducere ad confitendum die precedenti, cum assuefacti sint ad confitendum immediatè ante Communionem.

Aduerto obiter, immeritò Bonacinam *vbi supra* dixisse, hoc privilegium communicandi Dominica sequenti non esse vniuersale, sed solum pro Vrbe Roma: illud enim absque fundamento dicitur, qui Bulla, licet singula verba *supra* posita non repetat, quando eandem Indulgentiam extra Urbem concedit; vtitur tamen illis vocibus, *pariter, & similiter*, quibus eadem omnia *superius* dicta subintelligi: dicendo enim, *pariter confessi, ac Communione refecti fuerint, & similiter elemosynas fecerint*, &c. significatur eadem opera quoad Iubilantiam, & quoad circumstantias ab iis exigi.

Dubitatur quintò, an in ieiuniis ad Iubilæum impositis debeat abstinere etiam à lacticiis, & ouis. De hoc latè agit Thomas Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 11. à num. 49.* vbi varias sententias refert. Aliqui enim affirmant in vniuersum. Alij affirmant de iis, qui non habent Bullam Cruciatæ. Alij dicunt in Quadragesima id necessarium esse ad Iubilæum; secus extra Quadragesimam. Ipse denique cum aliis putat, ieiunia alia debere intelligi iuxta vsum provincie feruari solum in ieiuniis: quare, si sit consuetudo obligans ad eam abstinentiam in alijs ieiunijs, eodem modo feruari debet ad finem Iubilæi; secus, si non sit talis consuetudo. Quæ sententia mihi etiam placet: & ita vltus communis habet. Vnde cum eodem Sanchez dico, sæcularem habentem Bullam Cruciatæ posse in illis ieiunijs edere lacticia: quia hoc etiam modo obseruat ieiunia præcepta. Pro qua sententia multos Auctores congerit Diana *1. tom. tract. de ieiunio, resol. 17. & tract. de Bulla Cruciatæ, resol. 3.* Imò probabiliter infert idem Sanchez, licet Iubilæum occurrat in Quadragesima, posse eum, qui non habet Bullam Cruciatæ, obtinere Iubilæum, non abstinendo à lacticijs, si extra Quadragesimam ab iis possit non abstinere: quia ieiunium Iubilæi solum iniungit abstinentiam debitam in ieiunijs communibus, qualia sunt per annum.

Dices: Ergo, si aliquis haberet privilegium personale comedendi carnes, vel cœnandi diebus ieiunij, satisfaceret Iubilæo idem obseruando in illis ieiunijs. Negatur sequela: duplex enim potest esse privilegium. Alterum non ieiunandi, sed edendi carnes, vel cœnandi; & hoc privilegium non concedit, quod Iubilæum possit obtineri non ieiunando. Secundum potest esse, vt aliquis ieiunet non obseruata tali, vel tali ieiunij circumstantia, quæ non destruit eius substantiam: & tale est privilegium edendi lacticia, vel anticipandi aliquantum horam prandij: quare etiam in ieiunijs Iubilæi prodesse possunt hæc privilegia: quia faciunt, vt possit privilegiatus verè ieiunare, non obseruata tali circumstantia.

Dubitatur sextò, an satisfiat iubilæo, si illa ieiunia aliunde debita erant ex voto. Videtur non posse: quia debent esse opera aliàs indebita, vt ex Bonavent. significat Syluester *verbo indulgentia, quest. 6. Tabiena g. 10. Armilla §. 16.* Confirmatur: quia non satisfaceret elemosyna ad Iubilæum requisitæ, qui pauperi daret id, quod aliunde ei debet. Responderetur tamen cum communi, satisfieri Iubilæo per eiusmodi ieiunia, quod constat

ex vtu: sapè enim Iubi a vno promulgatur in Quadragesima, vel quatuor Temporibus: alioquin, qui ex præcepto, vel voto tenetur ieiunare omnibus ferijs sextis, non posset lucrari Iubilæum. Falsum ergo est, quod requirantur opera aliunde indebita: sed requiruntur talia, qualia sufficerent ad satisfaciendum non præcepto, cui satisfieret per opera aliunde debita, vt constat. Nec obstat exemplum elemosynæ: quia illa solutio debiti destruit essentiam elemosynæ, cum elemosyna sit donatio gratuita. At ypo obligatio ex voto non destruit essentiam ieiunij. Vnde, in foro, quod si aliquis ex voto, vel ex charitate teneretur sub mortali ad dandum elemosynam illa eadem elemosyna posset satisfacere ad lucrandum Iubilæum.

Dubitari potest septimò, an, & qualis oratio vocalis fieri debeat in Ecclesijs? Communiter requiritur oratio vocalis. Mihi tamen attentis verbis modernæ Bullæ non videtur improbabilis opinio Nauarri *§. In Leuitico, notab. 3. vers. Preces, n. 48.* dicentis, sufficere orationem mentalem: quia in Bulla solum petitur, vt ibi deuotè orent pro necessitatibus ibi expressis: orare autem indifferens est ad orationem mentalem, & vocalem. Tutius tamen erit aliquid miscere de oratione vocali, v. g. Litanias, aut Rosarium, vel quid simile. Nec obstat, per Rosarium orari Beatam Virginem; in Bulla autem exigi, quod oretur Deus: nam orando B. Virginem oratur Deus mediatè, cum à Virgine putamus, quod pro nobis apud Deum intercedat.

Dubitatur octauò circa elemosynam, an sufficiat dare famulo, vt ipse det pauperi; si tamen ipse famulus postea non det. Affirmant aliqui: quia iam dominus dedit ex parte sua. Secus esset, si solum præcipiat œconomò, vt det: nam præcipere non est dare: quare œconomò non dante, non dedit dominus elemosynam. Verius tamen credo, in neutro casu satisfieri, quia dare est transferre dominium: famulo autem non dante elemosynam, nondum est transfusum illius dominium in pauperem, imò semper poterit Dominus reuocare mandatum, quando non est data elemosyna: ergo nondum est transfusum dominium, nisi forte aliquis iam pro ipso paupere acceperat, tunc enim iam esset irreuocabilis donatio. Et ita videtur hanc partem tenere Corduba *de Indulg. g. 26. dub. 2.* Vnde idem dicerem, si mitteretur elemosyna tempore Iubilæi ad pauperem distantem, ad quem non posset peruenire intra illam hebdomadam: tunc enim elemosyna non daretur intra toto illo tempore, nisi aliquis, vt prædixi, pro paupere acceperat.

Dubitari potest nonò, vtrum satisfiat dando illi, quem puto esse pauperem, cum re vera sit diues, & fingat se pauperem. Videtur enim non satisfieri, cum reuera nihil detur pauperi, sed, sicut pauper existimatus, erit elemosyna existimata, quæ non sufficit. Credo tamen, satisfieri Iubilæo, alioquin cogere ad examinandam nimis necessitatem petentis, quod non satis consonat Sæculorum Patrum consilijs. Ratio autem est, quia non videtur de substantia elemosynæ, quod detur vero pauperi; sed, quod detur ad subleuandam miseriam inopis: tunc autem datur verè ex tali fine: ergo est verè elemosyna. Bulla autem moderna non dicit, quod elemosynæ dentur pauperibus; sed solum quod fiant elemosynæ.

Dices: Non fit elemosyna, nisi transferatur dominium, vt diximus. In hoc autem casu non transfer

108.  
Ieiunia an  
debeat fieri  
sine lactici-  
is.

109.

110.

Quid, si ieiunia sine alijs  
debeant

111.  
Oratio an  
requiritur  
vocalis.

112.  
Elemosyna  
qualis, &  
quanta de-  
beat.

113.  
De ieiunio  
cum re vera  
sit diues  
satis fieri  
dicitur, quod  
non fit elemosyna  
existimata.

transfertur, cum non sit animus donandi, nisi vero pauperi. Respondetur, regulariter in his elemosynis minutis esse animum transferendi dominium; licet propter dolum possit renocari donatio, vt cum aliis obseruat Lessius lib. 2. de iustit. cap. 18. dyb. 17. Quare eiusmodi pauperes sicuti ratio obligantur ad restituenda, que ita acceperunt per elemosynas minutas præsertim, cum alia causa fuerint petendi, vel retinendi: de quo videri potest Molina tom. 1. de iustit. disp. 210.

114.  
Quamquam debent dare diuites.

Dubitatur decimò, vtrum diuites debeant dare elemosynam proportionatam suo statui, & diuitiis. Hæc difficultas habet locum in Bullis antiquis, in quibus petebatur elemosyna, quantum pro sua cuique facultate visum fuerit, quæ verba intelligi videntur de prudenti iudicio regulato iuxta rectam rationem, vt in simili explicat Panor. cap. 1. de sequestran. possess. & idem est secundum eundem in cap. 1. de iudiciis, si dicatur iudici: Fac, quod tibi viderit, intelligitur enim iuxta rationem. Vnde Corduba de Indulg. q. 27. dicit, non satisfieri, nisi singuli dent iuxta conditionem suam, Rex, vt Rex; diuites, vt diuites, &c. Alij tamen dixerunt, sufficere dare id, quod alij suæ conditionis in simili casu dare solent, licet non sit secundum proportionem facultatum, & reddituum. Cæterum, iam nunc non superest difficultas; verba enim sunt hæc: Et elemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggererit, fecerint. Et rursus: Et elemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint. Curandum tamen vt sint in quantitate proportionata ad finem improbandi diuinam operam.

115.  
An Religiosi debent etiam facere elemosynam.

Dubitabis vndeimò, an Religiosi, & alij pauperes debeant dare elemosynam, vel certe aliquid aliud facere, in quod à Confessario elemosyna commutetur. Aliqui negarunt, quia Bulla antiqua dicebat: Et elemosynas, qui illas largiri poterint, Christi pauperibus iuxta uniuscuiusque denotionem, erogent. Alij tamen affirmarunt: quia in eadem Bulla subdebatur, quod qui præmissa implere nequiverint, fiat illis commutatio in illa pietatis opera. Et hic sensus est iam magis clarus in Bulla moderna, in qua elemosyna exigitur absolute, sicut alia opera, subdita facultate commutandi, quæ impleri non possunt.

116.

Quomodo autem Religiosus, qui nihil habet suum, possit dare elemosynam: dicendum est, licet in particulari nihil habeat; habere tamen in communi, quatenus, quæ habet Conuentus, habent singuli partialiter, cum Conuentus sint omnes Religiosi: quare, quod Conuentus dat, omnes partialiter dant, quod sufficit ad dandam verè elemosynam; sicut, si duo haberent pro inuiso fundum, & concederent pauperi accipere fructus ex illo, verè darent elemosynam. Potest etiam Religiosus dare elemosynam per alium, vt si amicus secularis pro eo det: tunc enim interuenit duplex contractus, alter, quo secularis dat Religioso illam pecuniam; alter, quo Religiosus per secularem illam dat pauperi, & ad vtrumque requiritur licentia Prælati, vt supra in simili diximus.

117.

Petes primò: quid, si Prælati det ex bonis communibus elemosynam pro omnibus subditis, ipsi id ignorantibus? Respondeo, quod non satisfieret, nisi ipsi saltem intra hebdomadam, id legitime scientes, ratum haberent: quia dare elemosynam est actio moralis, ad quam requiritur aliqua cognitio, & voluntas, vt constat: debent ergo præmoneri de voluntate Prælati dandi elemosynas eorum nomine. Petes secundò: quid dicendum de Fratribus Minoribus, qui neque etiam in com-

muni habent dominium: quomodo ij possunt dare elemosynam? Respondetur, posse, prout de facto dant: habent enim vsum cum facultate libera transferendi dominium, & alienandi, quod sufficit, vt illa sit verè elemosyna, & pauperi acquiratur dominium rei acceptæ; licet; qui dat, non habuerit illud.

Dubitatur duodecimò de facultate commutandi prædicta in alia pietatis opera, de qua olim sic dicebatur in Bulla: Eos quoque, qui morbo, vel aliquo impedimento detenti præmissa adimplere nequiverint, si alia opera fecerint, in que arbitrio suorum Confessorum, quibus super hoc facultatem impartimur, commutata fuerint; ipsius Indulgentiæ, & doni, ac aliorum prædictorum participes esse volumus. Ex quibus verbis colligebant multi, & quidem merito, non solum ieiunia, elemosynas, &c. sed & ipsam Communionem, imò & Confessionem posse aliquando in alia opera commutari. Vnde inferebāt, pueros, qui communicare non poterant, vel eos, qui carcere detenti Communionem non poterant accipere, vel fortasse nec Confessionem facere, quia non poterant Confessarium habere; posse tamen lucrari Iubileum; si Confessarius absens illis prædicta omnia commutet. Hodie tamen verba Bullæ modernæ paulò aliter habentur, hoc modo: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in Clausuris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuscumque, tam laicis, quam ecclesiasticis, secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut in captiuitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet, ieiuniam, elemosynam, Ecclesiæque, seu Ecclesiarum visitationem, ac interuentum in processione, & orationem, vel eorum aliqua præstare nequiverint, vt illa Confessarius quem vt infra elegerint, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, que ipsi penitentes efficere potuerint, pariter concedimus, & indulgemus. Vbi limitata videtur facultas commutandi ad ea solum opera ibi expressa, in quibus non est Confessio, nec Communio: quia fortasse hæc vult Pontifex omnino in specie exhiberi à lucratis Indulgentiam istam. Imò ex vi huius clausulæ, nec prorogari posse videntur impeditis Confessio, & Communio in aliud tempus; sed solis nauigantibus, & iter agentibus, quibus id supra concessum fuerat: quod quidem difficile est: sed, stante illa clausula, non videtur manere amplior facultas.

118.

Quæ opera possint commutari.

119.

An Communio commutari nunc possit.

Hinc infero primò, licet, iuxta antiquam formulam, verum esset, quod qui factis omnibus operibus requisitis, ipsa tamen die Dominica ante Communionem, cibo per inadvertentiam accepto communicare non potest, adhuc posset lucrari Indulgentiam, commutata sibi à Confessario Communionem in aliquid aliud, vt docuerunt Sanctarellus, Grassius, & Henriquez, quos affert, & sequitur Diana tom. 2. tract. 4. de Sacram. res. 112. nunc tamen ex vi huius clausulæ non posse habere locum; quia non datur facultas commutandi Communionem.

Infero secundò, licet olim etiam verum esset, quod qui tempore Iubilæi inuincibiliter illud ignorauit, posset, postea, quando habet notitiam; illud lucrari: vt docuit Botreanus in obseruationibus Iubilæi Sixti V. fol. 131. quem sequitur Diana ubi supra, res. 151. quia ille fuit legitime impeditus: nunc tamen, stante hac clausula, & præcedentibus, non posse: quia solis nauigantibus, & iter agentibus conceditur prorogatio Iubilæi; cæteris autem impeditis solum conceditur ex facultate Confessarii

festarij prorogatio aliquorum operum, & non omnium.

**110.**  
*An commutatio fieri debeat in opera, quæ eisdem diebus subrogentur.*  
Infero tertio, commutationem non debere necessarium fieri in opera, quæ eisdem diebus subrogentur, sed posse ieiunium Sabbathi, v. g. commutari in aliquod opus pium, quod fieri possit feria quinta, sufficit enim, quod opera subrogata fiant extra hebdomadam: vnde ipso etiam Sabbatho possunt commutari opera, quæ diebus præcedentibus fieri debuissent: in Bulla enim non restringitur quoad hoc facultas commutandi.

**A quo Confessario commutari debeat.**  
Dubitatur decimotertio, an Confessarius potens commutationem hanc facere, sit solus ille, cui pœnitens confitetur, vel confiteri solet, an quilibet alius, cui confiteri posset. Respondetur, quemlibet sufficere, vt docent in terminis Henriquez lib. 7. de Indulg. c. 10. num. ultimo, & Thom. Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 54. num. 17. quia quemlibet potest eligere ad omnes, vel ad aliquos effectus in Bulla concessos, nec necesse est, vt quem eligit ad vnum effectum, eligat ad omnes alios.

**111.**  
*An possit obtineri Iubilæum vniuersale, quæ hebdomada.*  
Dubitatur decimoquarto, an, qui Iubilæum lucratus est prima hebdomada, possit illud sequenti hebdomada iterum lucrari, & absolui iterum à peccatis referuatis de nouo commissis. Prima sententia affirmat, quam tenent Henriquez lib. 6. r. 16. num. 3. & lib. 7. de Indulg. c. 11. num. 1. & alij multi, quos refert Diana tom. 2. tract. 4. de Sacramento. resol. 151. Secunda sententia negat, quam tenent Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 16. num. 17. Thomas Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 54. num. 30. & alij, quos refert idem Diana ibi: Fillucius autem tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 278. refert, Clementem VII. ita respondisse etiam de Iubilæo anni sancti: & num. 261. ut statueret, ita etiam respondisse sacram Congregationem Cardinalium. Tertia sententia media concedit, posse fieri, quando prima hebdomada non fuit absolutus à referuatis: quia illa tunc non habebat.

**112.**  
Ex his sententijs prima est probabilis propter auctoritatem tot. Doctorum; & à fortiori, tertia erit etiam tuta: secunda verò est probabilior, quia verba Bullæ illam significant, dum conceditur altera ex duabus hebdomadis Indulgentia plenaria. Sicut enim sumenti Bullam Cruciatæ hoc anno conceditur Indulgentia plenaria, & absolutio semel casibus Bullæ Cœnæ: tamen non possit secundam Indulgentiam, vel secundam absolutionem obtinere, qui durante eodem anno aliam Bullam acciperet, & aliam elemosynam daret, nisi id specialiter in eadem Bulla concederetur pro secunda vice; vnde pro tertia, vel quarta non potest: sic Indulgentia, & absolutio, quæ conceditur his duabus hebdomadis danti elemosynam, & ieiunanti, &c. non potest bis obtineri à facientibus bis illa opera, nisi id specialiter concedatur cum ratio sit omnino eadem.

Vnde infero, si quis Romæ lucratus est illud Iubilæum ibi promulgatum, & postea veniat Neapolim, vbi de nouo idem Iubilæum promulgatur: non posse secundò illud Neapoli lucrari, & absolui à referuatis: quia, licet locus sit diuersus, Iubilæum est idem. Si tamen Romæ nolisset illud lucrari, potuisset postea Neapoli illud lucrari, vt cum Sanctarello, & Vgolino concessit Diana vbi *supra*.

**113.**  
*An possit pariter in vno loco, & pariter in alio obtineri.*  
Dubitari potest vltimò, an qui tempore promulgationis Iubilæi erant in ciuitate, sed non sunt ibi per totam hebdomadam, possint consequi Iubilæum perfecto itinere, vel etiam in ipso itinere.

Multiplaciter potest hec contingere. Primò, quod initio promulgationis sit aliquis præsens, & incipiat id facere opera: v. g. visitare Ecclesias, & postea proficiscatur. Secundò, quod nihil ibi facere cœperit. Tertio, quod initio non fuerit præsens, sed dimidia hebdomada transacta aduenit. Dico itaque primò, in his omnibus casibus eum posse, si velit lucrari Iubilæum postea finito itinere: facultas enim datur vniuersalis nauigantibus, & iter agentibus ita faciendi; & Pontifex vult, quod vnusquisque habeat duarum hebdomadarum spatium in quo cum quiete, & deuotione possit se præparare: quare, licet in loco publicationis fuisset per totam primam hebdomadam, & in dimidio secundæ hebdomadæ iter agat, poterit, finito itinere illud lucrari. Item, licet vltimo die primæ, vel secundæ hebdomadæ iter contingat: quia, nec tunc habet hebdomadam completam ad quietem, & deuotionem requisitam.

Dico secundò, qui tempore promulgationis fuit ibi, potest ibi incipere, & prosequi in itinere opera requisita. & in itinere ipso lucrari Iubilæum: non enim requiritur, quod in eodem loco faciat omnia opera: alioquin non posset diebus, quibus ieiunatur, exire ex territorio, negotij causa, noctu reuersurus: quia illud ieiunium perageret alibi, quod tamen nemo concedet. Item si deuotionis causa vellet ire ad Confessionem secundam, & accipiendam Eucharistiam in aliquo loco per sex, vel septem miliaria distanti, in quo Iubilæum non est publicatum, quis negabit sufficere Confessionem, & Communionem illam ad Iubilæum? Non ergo requiritur, quod omnia opera ibidem fiant. Hinc autem probabiliter colligitur, quod possint omnia etiam extra illum locum fieri: cur enim magis requiratur vnum, quam aliud? Solum posset esse difficultas de visitatione Ecclesiæ designatæ in tali promulgatione pro tali loco: sed hoc opus posset ratione itineris commutari, sicut ob alia impedimenta, vel certè facile posset ante ipsum iter Ecclesiæ designatæ visitari. Ratio autem à priori est, quod per præsentiam in loco, vbi promulgatur Iubilæum, omnes ibi præsentes acquirunt ius ad illud lucrandum, omnibus enim præsentibus intimatur, & offertur illud privilegium: acquisito autem iure possunt sui omnibus facultatibus ibi concessis.

Hinc dico tertio, etiam si initio non fuit ibi præsens; si tamen postea adueniat, potest ibi Iubilæum lucrari: quia per præsentiam statim acquirit idem ius, cum promulgatio semper perseveret. Vnde licet adueniret feria quinta, posset facere sibi commutari ieiunium ferie quartæ in aliud opus, & prosequi faciendo alia opera requisita: quod etiam verum crederem, licet ipso Sabbatho adueniret: quia tunc potest commutatis ieiunijs subrogare alia opera, & visitare Ecclesias, ac confiteri, & die sequenti Eucharistiam sumere.

Ex hoc autem rursus inferri probabiliter potest, si aliquis in itinere perueniat ad locum, in quo Iubilæum promulgatum est, licet ibi non debeat permanere tota illa hebdomada, sed prosequi iter suum; statim tamen, sicut alios ibi commorantes, acquirere ius, atque adeò posse statim Ecclesias visitare, ceteraque opera inuicta in itinere prosequi ad lucrandum Iubilæum. Quod enim partim temporis debeat ibi subsistere, non videtur oblatè: nam si die Sabbathi venisset ad locum Iubilæi, tunc per medium diem hebdomadæ ibi adesset; & tamen potest illo brevi tempore lucrari Iubilæum.



Inbilium, ut diximus. Rursus, si ad Iubilium solum exigeretur Confessio, Communio, visitatio Ecclesiae, & elemosynae; haec omnia possent facere illo brevi tempore, & lucrari proculdubio Iubilium: per accidens autem est, quod petantur ieiunia trium dierum: tum, quia illis ipsis diebus posset alibi propter negotia commorari: tum etiam, quia illi, quibus ieiunia in alia pia opera commutantur, possunt eiusmodi opera pia paucis horis perficere: ergo breuitas temporis, quo ibi commorantur, non impedit, quod acquirat ius ad lucrandum Iubilium ibi promulgatum.

127. Petes, si Petrus praesens Romae, quo tempore ibi promulgatum est Iubilium, ibi elemosynam fecit, & ieiunavit prima die, postea veniat Tusculum, ubi eadem hebdomada promulgatum etiam est, & prosequatur sua ieiunia, & alia opera; an possit ex vi utriusque loci promulgationis frui Iubilio visitando Tusculi Ecclesias ibi designatas, quas Romae non visitauerat. Respondetur, absque aliqua commutatione id non posse fieri: quia ex vi promulgationis Romanae solum acquisiuit ius ad lucrandum Iubilium positae operibus in ea promulgatione requisitis, quorum unum erat visitare Basilicas Romanas: ergo ex vi illius promulgationis non potest lucrari Iubilium non visitatis illis, sed aliis Ecclesiis. Rursus, ex vi promulgationis Tusculanae non habet ius ad lucrandum Iubilium per ieiunium, & elemosynam Romae factam: quia opera illa praecesserunt, ut suppono, & facta fuerunt, antequam veniret Tusculum, & per consequens antequam promulgatio Tusculana daret illi tale ius. Unde, sicut, si aliquis die Dominica paulo ante promulgationem Iubilii visitasset Ecclesias designandas, illa visitatio non sufficeret; sed deberet post promulgationem illas visitare: sic opera facta, antequam ad illum ordinaretur promulgatio Tusculana, non profunt, ut ex vi illius promulgationis lucratur Iubilium. Neutra ergo promulgatio illi sufficiens prodesse videtur: poterit tamen facile Tusculi facere sibi commutare ieiunium feriae quartae in aliud opus; & rursus dare aliam elemosynam de nouo: atque ita ex vi promulgationis Tusculanae poterit complete Iubilium lucrari per ieiunia subsequencia, & Confessionem, ac Communionem Tusculi factam.

SECTIO VIII.

Quoruplex sit Indulgentia; a quo possit concedi, & ex qua causa; & quomodo expiret eius valor?

128. **H**ae quatuor res sunt, quae, quia facilia sunt breuiter expediemus. Quoad primum Indulgentia primo diuiditur in partialem, & totalem quae etiam appellatur plenaria, seu plenissima, per quam totum debitum poenae remittitur: quod semper intelligitur, si peccata supponantur remissa quoad culpam. Queri solet, quae sit differentia inter Iubilium, & Indulgentiam plenariam. Respondetur, ex parte effectus, quoad remissionem poenae, non differre, sed partim ex parte solemnitatis specialis, quam Iubilium asserre solet; partim propter facultates alias, & indulgentias, quae simul cum Indulgentia solent in Iubilio concedi: de quo videri potest Suar. disp. 50. sect. 4. n. 8.

129. Indulgentia partialis est, quae non concedit remissionem totius poenae, sed quoad partem ali-

quando determinando dimidiam, v.g. vel tertiam partem poenae debite, aliquando vero determinando annos, vel dies poenae, ut cum conceditur Indulgentia quadraginta dierum, vel decem annorum. Quid autem significant haec formulae, late tractat Suar. ubi supra sect. 5. a. n. 11. Certum autem videtur, non significare tot dies, vel annos Purgatorij: quia hi sunt valde heterogenei, cum eadem poena formaliter possit in Purgatorio ab aliquo desumi quadraginta diebus, quae ab alio propter maiorem acerbitatem, & intensionem decem diebus solvatur. Melius ergo explicatur per dies, vel annos poenitentiae sacramentalis, quae iuxta Canones poenitentiales antiquos solebat imponi. Caeterum, quia illae eadem poenitentiae non erant aequales pro omnibus, sed arbitrio Confessorij taxabantur grauioribus, vel leuioribus, in illo anno, vel hebdomada faciendae: ideo sensus praedictae Indulgentiae debet hic esse, ut per Indulgentiam quadraginta dierum, v.g. nunc concessam, remittatur tanta poena Purgatorij, quanta correspondere posset poenitentiae quadraginta dierum, quam imponeret ei Confessorius iuxta antiquos Canones, cum ea grauior poenitentiae, cum qua iuxta prudentem Confessorij arbitrium deberet imponi huic homini propter sua peccata confessa, pro quibus hic, & nunc debet reatum poenae, de quo videri potest Suarez ubi supra.

Secundo diuiditur indulgentia in realem, localem, & personalem. Realis est, v.g. quae conceditur alicui grano, vel imagini benedictae. Localis, quae conceditur, v.g. alicui Ecclesiae. Personalis, quae conceditur alicui personae, ut in articulo mortis eam lucratur, vel quoties tale, vel tale opus pium fecerit.

130. Realis, localis & personalis.

Circa realem peti solet, quid referat ad pietatem habere hoc granum, ut eius intuitu concedatur Indulgentia. Respondetur in primis, non solere concedi intuitu solum illius grani, sed principaliter in cultum alicuius Sancti, vel ob aliquam necessitatem, vel ob merita egregia alicuius Principis Christiani erga Ecclesiam. Deinde, ipsum etiam granum multum conducit ad pietatem: quia conseruando, & venerando illud, eo ipso profitemur, & veneramus auctoritatem Summi Pontificis, a quo mediata, vel immediata granum illud fuit benedictum.

Granum benedictum quid referat ad pietatem.

Circa Indulgentiam localem quaeri solet, an diruta Ecclesia, cui concessa erat, maneat Indulgentia in alia Ecclesia, quae in eodem situ reaedificatur. Aliqui Canonistae dicunt, si auctoritate Superioris Ecclesiae ab vno ad alium locum transferatur, deferre secum suas Indulgentias. P. Suar. disp. 52. sect. 1. n. 9. probabile id putat, quando in eodem situ statim alia aedificatur. Mihi tamen valde dubia esset talis Indulgentia: quia reuera illa est alia Ecclesia, non solum physice, sed mortaliter; & ideo indiget noua consecratione. Aliter dicendum esset, si non tota simul, sed per partes dirueretur: tunc enim nunquam prior Ecclesia desit esse; sed semper mortaliter eadem perseuerauit, iuxta ea, quae dixi disp. 20. de Eucharist. sect. 2.

131. An diruta Ecclesia, Indulgentia eius possit conseruari in aliam.

S. I. Quis possit Indulgentias concedere?

**Q**uod attinet ad secundum de iis, qui possunt Indulgentias concedere, dicendum breuiter est; primo, Summum Pontificem de iure diuino posse eas pro tota Ecclesia concedere. Extra illum vero nonnulli id affirmant de Concilio generali; sed absque fundamento: quia nullibi reperitur Christi promissio, nec expediebat, esse

132. Summus Pontifex de iure diuino Indulgentias concedit pro tota Ecclesia.

duas



alias vero Indulgentias non videtur probabile, quod de laico dicitur: quia Pontifex nunquam committere solet laico vltim actum iurisdictionis spiritualis, qualis est concessio Indulgentie, sicut nec potestatem excommunicandi, aut alia, quae ad claves pertinent. Consulenda ergo sunt verba Indulti, quae si, vt plerumque fit, Confessario id committant, res erit clara, nec poterit à Diacono concedi. Si vero solum loquantur de Indulgentia concedenda in mortis articulo, res erit magis dubia, an possit Clericus non Sacerdos illam concedere. Consequenter tamen ad id, quod diximus disp. 18. sect. 1. non posse illum tunc absolueri à censuris, idem dicendum videtur de Indulgentiis: quia concessio Pontificis intelligenda videtur iuxta communem sylum, qui est, vt id fiat à Confessario, praesertim, cum vsus fidelium non sit alius; iuxta quem vsum praesumitur loqui Pontifex, quando aliud non exprimit. Facilius admitto, quod alij dicunt, posse Confessarium Indulgentiam illam concedere, licet moribundum non absoluat: quia confessionem non potuit petere: sicut etiam in simili casu absolui posset à censuris.

S. 2. De causa necessaria ad indulgentiam concedendam.

138. *Causa requiritur ad indulgentiam.*  
Quod attinet ad tertium, certum est, requiri causam, vt licet concedatur Indulgentia. Hoc omnes concedunt: quia haec potestas data est Pontifici in adificationem, & non in destructionem: vrgetur autem in graue Ecclesiae damnum, si irrationabiliter superflua Indulgentiae concederentur, vt habetur in *disto cap. cum ex eo, de poenit. & remiss.* Dices, ad hoc, vt detur alicui subsidium temporale, sufficiens causa est, eius indigentia: ergo & ad dispensandam hanc eleemosynam spiritualem sufficit indigentia lucrantis Indolgentiam, qua causa semper reperitur. Respondetur, antecedens non esse verum, quando ex liberalitate erga aliquem, qui alias potest sibi proprio labore subuenire, sequeretur otium, desidia, & facilitas ad vitia. Sic ergo concedere Indulgentias sine causa, non esse opus misericordiae, sed crudelitatis: quia hac occasione homines licentius peccarent, & cessarent ab operibus studiosis.

139. *An sit valida Indulgentia sine causa.*  
An vero requiratur causa ad hoc, vt concessio Indulgentiae sit valida: negantur aliqui antiqui, teste Paludan. in 4. dist. 12. Communis omnium Theologorum sententia id affirmat. Probatur primò ex loquutionibus Pontificum, qui semper dicunt, quòd Indulgentiae ex rationalibus, & iusta causa possunt concedi. Ita loquitur Clemens VI. in *disto Extranaq. Vnigenitus.* & Martinus V. in *disto, qua habetur post Concilium Constantiense.* & Leo X. in *Decretali illa ad Caiet.* Secundò probatur: quia Papa non est Dominus thesauri, sed dispensator, vt constat ex illo Pauli primae ad Corinth. 4. *Sic nos existimare homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei & 1. Petri 4. Sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.* Dispensator autem non potest sine causa disponere de rebus domini. Tertio, quia alias posset validè vno verbo liberare omnes animas Purgatorij singulis diebus: quae potestas incredibilis est. Quarto, quia non potest validè dispensare in voto, quia eius obligatio est de iure diuino: ergo neque in reatu poenae, cuius etiam obligatio est de iure diuino.

140. Dices: Collatio beneficij Ecclesiastici facta indigno, valida est, licet conferens non sit dominus,

sed dispensator; & licet sit contra ius diuinum. Respondetur, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam: illa enim collatio in primis valida est, ne sequantur grauissima incommoda, habendo pro vero Parocho enim, qui talis non est: & aliunde ex eius valore nullum sequitur incommodum, cum semper remaneat obligatio irritandi illam. At vero inualiditate Indulgentiae nullum sequitur incommodum, & aliunde grauissima incommoda sequerentur, si concessio esset valida. Deinde, collatio beneficij indigo est quidem contra prohibitionem iuris diuini, non tamen destruit ius diuinum, vel eius obligationem; idè est peccatum, quia remanet obligatio iuris diuini circa illam: illa ergo actio est inualida sine causa, quae est contra ius diuinum, tollendo eius obligationem, vt dispensatio in voto, & similia, non quae est contra ius diuinum illam prohibens: nam prodiga donatio est contra ius diuinum; & tamen est valida.

141. *An sine causa aequali.*  
Quaestio est, an non solum requiratur causa ad valorem Indulgentiae, sed etiam causa aequalis, & proportionata. Prima sententia negat, quam tenent S. Thom. in 4. dist. 20. quest. 1. art. 3. *quasi sume.* 2. & alij quamplures, quos affert Suarez disp. 54. sect. 3. num. 1. & est communis, teste Durando, *illa dist. 20. quest. 4.* Secunda sententia verior, & iam communis petit etiam ad valorem aequalitatem causae, non quidem secundum quantitatem, sed secundum proportionem. Hanc tenent Albert. Bonauent. Richard. Adrian. Caiet. & alij, quos affert, & sequitur Suarez *ibi num. 5.* Probatur primò ex supradictis loquutionibus Pontificum, qui potestatem concessam à Christo dicunt ad dispensandum thesaurum *ex rationabilibus, & iustis causis.* Secundò probatur: quia tam dissonum est rationi pro parua causa concedere magnam Indulgentiam, quam pro nulla causa concedere parua: ergo, si haec secunda concessio non est valida, nec etiam prima erit valida. Tertio probari potest ex verbis Bonifacij VI in *Extranaq. Antiquorum, de poenit. & remiss.* vbi concessa Indulgentia plenissima anno Sancto visitantibus Basilicas Petri, & Pauli, addit: *vnusquisque autem plus merebitur, qui Basilicas ipsas & deuotius frequentabit.* Supportet ergo, magis certum esse Indulgentiae effectum, vbi causa fuerit maior. Quarto denique probatur ex dictis; quia Pontifex non est dominus, sed dispensator, qui non solum indiget causa, sed causa iusta, & proportionata ad validè operandum.

142. Obiicies primò, Indulgentiam inaequalem aliquando concedi solere propter eandem causam: ergo non requiritur haec proportio. Respondetur, illam causam esse proportionatam Indulgentiae maiori, & superabundantem pro minori; quod non est inconueniens: quia non tenetur Pontifex concedere semper totum, quod posset pro tali causa.

Obiicies secundò, Indulgentia plenissima anni Sancti conceditur cum Romano, visitanti Basilicas Vrbis, quod opus lenissimum est. Respondetur, proportionem causae in ordine ad Indulgentiam non debere desumi ab aliquibus personis particularibus, nec ab eo, quod singuli faciunt, per se considerato; sed à bono communi, quod reinitat. Cedit autem maxime in honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiae, & professionem fidei, ac vnionem fidelium, quòd totus Orbis conuenit ad vnum, & eundem locum, vbi est Christi Vicarius, & corpora Principum Apostolorum: ob quam causam potest rationabiliter concedi Indulgentia plenaria omnibus, & singulis illuc concurrentibus, licet per accidens

accidens aliqui possint sine magno labore illam obtinere. Sic etiam per Bullam Cruciatæ conceduntur magnæ Indulgentiæ, & facultates iis, qui tribuunt elemosynam duorum Iuliorum, ad fouendum bellum contra infideles: quia, licet illa elemosyna respectu dimitis sit opus exiguum, bonum tamen, quod resultat ex collectione illarum pecuniarum, est maximum, & reddit rationabilem illam concessionem.

143. Obiicies tertio, concedi sæpè magnas Indulgentias pro uinis, & defunctis, recitanti paucas orationes, quæ certè non videtur causa proportionata. Respondetur, eiusmodi Indulgentias non concedi solum propter illam recitationem; sed, vel propter statum religiosum, quem personæ illæ profitentur; vel propter cultum, & deuotionem alicuius Sancti, in cuius honorem conceduntur; vel propter egregia merita alicuius Principis, ad cuius instantiam, & preces fit concessio. Neque etiam contendimus, interuenire semper istam, & proportionatam causam: hæc enim est res facti; quare sicut non est certum, absolui validè eum, quem Papa absolueret: aut esse validam semper dispensationem voti, quam concedit, sic non oportet, quòd sit certus semper valor Indulgentiæ concessæ: in dubio tamen semper præsumendum est pro valore, multas enim rationes cognoscit Superior, quæ latent subditos, & quæ possunt reddere rationalem illam concessionem.

144. *Quæ sit causa sufficiens*  
Quæritur primò, qualis causa indicari debeat proportionata ad Indulgentiam. Respondetur in primis debere esse causam piam: qualis est utilitas Ecclesiæ, veneratio Sanctorum, constructio templi, audire conciones, & diuina Officia, pugnare pro defensione fidei. Pro temporalibus autem causis non conceduntur, nisi quatenus ad spiritualem utilitatem possunt conducere, vt pro auxilio ad reprimendos hostes Ecclesiæ, pro constructione pontium, an pro viarum communium reparatione, quæ in bonum pauperum, & utilitatem fidelium redundant. Deinde illa dicitur causa proportionata, quando omnibus prudenter pensatis, maior Dei honor, & spiritualis utilitas consequitur ex Indulgentiæ concessione, quam posset illa non concessa sperari per rigorosam punitionem peccatorum, aut exigendo, & sperando iustam satisfactionem: tunc enim utiliter dispensatur, thesaurus ad ædificationem, alioquin dispensaretur ad destructionem, & corruptelam.

145. *An sufficiat quando estimatur sufficiens.*  
Quæritur secundò, vtrum, si re ipsa causa non sit proportionata, & sufficiens: estimatur tamen prudenter talis à concedente Indulgentiam, concessio sit valida. Respondet Suarez cum aliis affirmatiuè *disp. 54. sect. 3. n. 11.* quia ab Oecono non requiritur, nisi quòd operetur, iuxta regulas prudentiæ, & à Christo etiam, qui sic operatur, vocatur fidelis seruus, & prudens: ergo, quoties operatur eo modo, fideliter dispensat thesaurum Christi, quod probabile, & pium est.

*An valeat quoad partem.*  
Quæritur tertio, an si causa non sit proportionata ad totum, quod conceditur, concessio sit valida quoad partem, ad quam datur causa proportionata. Respondetur affirmatiuè cum communi sententia, quam sequitur Suarez *ubi supra, num. 9.* quia Pontifex vult ponere illam remissionem, in quantum potest: ergo, si non potest totam, ponet partem, quam potest. Sicut etiam Sacerdos absoluens pœnitentem, qui confessus est quatuor peccata venialia, si de vno non sit dolor debitus, adhuc absoluet ab aliis tribus: quia vult absoluerè, quantum potest.

Quæritur vltimò, an requiratur causa publica

vel sufficiat priuata. Respondetur, ad Indulgentiam particularem sufficere causam particularem; ad generalem verò requiritur causa generalis, nisi forte bonum aliquod priuatum esset aded magni momenti, vt meritis æquivaleret bono publico: iam enim omnibus pensatis esset causa prudenter mouens ad communicandum generaliter Ecclesiæ thesaurum.

S. 3. *Quomodo cesset Indulgentiæ valor?*

146. **P**rimò, cessat Indulgentia concessa pro vna vice, postquam iam semel obtenta est. An verò sit talis, quæ in Iubilæo duarum hebdomadarum, vel per octauam Festi conceditur, dictum est *suprà*.

Secundò cessat per reuocationem concedentis, vel successoris, aut Superioris: & hoc, etiam si alii ceperint facere opera requisita ad illam lucrandam, peccaret tamen, qui sine causa reuocaret Indulgentiam, alioquin vtilem: multò grauius quando ex parte lucrantis, ad eum finem sumptus facti fuissent, vt si Indulgentia concessa fuisset pro articulo mortis eunti ad bellum, vel concurrenti ad expensas, & ante Indulgentiam obtentam post laborem, vel sumptus positos, reuocaretur Indulgentia.

Dubitatur, an necessaria sit notitia reuocationis, vt intelligatur inualida. Respondetur, id regulandum esse iuxta doctrinam communem de reuocatione aliorum privilegiorum: quare sufficit ea promulgatio, quæ in lege reuocatoria privilegij requiri solet, de quo Suarez *lib. 8. de legib. cap. 40. & seqq.* Si tamen Pontifex reuocaret per actum merè internum, quo vellet efficaciter, ex tunc etiam ante promulgationem, vel notitiam aliam, non habet valorem illa Indulgentia. P. Suarez *in præfati, disp. 57. sect. 2. num. 10.* dicit peccatum quidem; sed reuocationem esse validam: quia efficacia Indulgentiæ pendet ex voluntate concedentis. Vnde, si exterius concederet illam sine voluntate interna, nihil valeret: ergo, licet continetur externa concessio, si mutetur intentio interna, nihil iam valebit. Nec obstat, quòd concessio non esset valida per solam voluntatem internam; ergo nec reuocatio: respondet enim, ad concessionem requiri vtrumque; nempe, actum externum, & voluntatem internam: quare ablatò altero ex illis redduntur inefficax; quia malum ex quocunque defectu, & ideò deficiente, vel actu externo, vel consensu interno, qui deficit per reuocationem internam, cessat concessio.

Hæc sententia mihi difficilis est, primò, propter doctrinam generalem: quam tradit cum aliis Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 36.* quòd licentia alicui concessa non reuocatur per solum dissentium contrariæ sententiæ supponit falsum, scilicet, quòd effectus, & valor Indulgentiæ pendet ex voluntate præfati concedentis: hoc, inquam, in rigore est falsum; quia non dependet, nisi à voluntate præterita legitime iurata. Vnde, quando mortuus est, qui concessit, valor Indulgentiæ continuatur, non quidem propter voluntatem præfatem ipsius, cum iam non habet authoritatem, neque etiam propter voluntatem successoris, vt indicat Suarez *dist. 4. sect. 2. num. 3.* tum, quia fortasse nondum est effectus successoris; tum etiam, quia successor potest nihil de tali concessione cogitasse, nec in particu-

lari, nec in communi: sed continuatur valor præcisè propter voluntatem præteritam, ex vi cuius applicat thesaurum ad talem effectum suo tempore operandum: ergo ad impediendum effectum debet impediri causa præterita; non quidem non conferendo illam, quia eius conferuatio non requiritur; sed postiuè impediendo eius efficaciam, quæ non videtur posse impediri, nisi per actum externum: quia, sicut concessio Indulgentiæ requirit actum externum; quia est actus iurisdictionis visibilis: sic reuocatio concessionis est actus iurisdictionis visibilis, nam successor non aliter potest reuocare concessionem prædecessoris, nisi propter iurisdictionem acceptam, qua potest claudere id, quod prædecessor aperuit: cum ergo claus tam ad claudendum, quam ad aperiendum pertineant ad iurisdictionem visibilem, debent exerceri per actus visibiles, & externos, vt validè operentur; per quod patet ad fundamentum contrarium.

149. Indulgentia Regularium, an reuocetur per Iubilæum quæ per Bullâ Cruciatæ.

Quæri etiam poterat in præfenti, an per Iubilæum anni Sancti, vel Bullam Cruciatæ censentur reuocari Indulgentiæ concessæ Regularibus. De hoc tamen diximus *suprà*, disp. 20. sect. 8. Solum addo, licet Bulla Cruciatæ non suspendat Indulgentias concessas Ordinibus Mendicantium, quoad eorum Fratres; adhuc suspensam intelligi gratiam Altaris priuilegiati, quod fit in aliqua Ecclesia Mendicantium, vt cum Emmanuele Rodriq. docent Fernandez in exam. Theolog. mor. part. 3. c. 9. sect. 11. §. 19. num. 2. Villalobos in Summa, tom. 1. tract. 27. cas. 12. n. 13. & Diana 1. tom. tract. de Bulla Cruciatæ, resol. 86. quia illa non conceditur pro solis Fratribus, sed pro omnibus fidelibus in vniuersum. Quare oportet, eum, qui Missam celebrat, habere Bullam Cruciatæ, ad hoc, vt possit vtj illa facultate.

150. Indulgentia cessat destructione rei, cui est affixa.

Tertiò cessat Indulgentia per destructionem loci, vel rei, cui erat affixa. Solet tamen aliquando concedi, vt si amittatur, vel rumpatur granum, vel imago habens talem Indulgentiam, possit pro prima vice subrogari aliud granum, vel alia imago cum eadem Indulgentia. De quibus dubitari possit, casu quo imago illa amissa fuit, & facta sufficienti diligentia non potuit inueniri, atque ideò electa fuit alia; an, si postea prior inueniatur, adhuc hæc posterior retineat Indulgentiam. Et quidem ego credo, non amplius priorem, sed posteriorem habere Indulgentiam: quia verificata fuit conditio, vt possit ritè eligi secunda, nempe, quòd prima fuisset amissa: ergo eo ipso illegitimè fuit electa alia, & cessauit prioris Indulgentia: tutius tamen erit utramque retinere.

151.

Petes, in illa electio possit fieri per actum merè internum: videtur enim exigi actus externus,

sicut dicebamus, requiri actum externum ad concessionem Indulgentiæ: hæc quippe electio videtur esse concessio Indulgentiæ ex facultate à Pontifice delegata. Verius tamen videtur, sufficere voluntatem internam; quia illa deputatio non est concessio Indulgentiæ: Pontifex enim solus concedit inuicè Indulgentiam habentibus talem imaginem à se deputandam. Quod à posteriori patet. Primò, quia facultas concedendi Indulgentias nunquam delegatur laicis, aut sceminis; & tamen ij possunt determinare grana, vel imagines. Secundò, quia, qui Indulgentiam propriè concedit, potest illam reuocare: qui autem semel deputauit talem imaginem, non potest reuocare postea talem electionem: non est ergo actus iurisdictionis: sed conditio ad concessionem factam à Pontifice: conditio autem ad Indulgentiam requisita, potest aliquando esse actus internus, vt *suprà* dictum est.

152. An per reuocacionem.

Dubitatur primò, an cesset etiam Indulgentia per mortem concedentis. Respondetur negativè, sicut nec alia priuilegia, vel gratiæ, aut facultates, de quo dictum est latè *suprà* disp. 19. sect. 2. Dubitatur secundò, an cesset Indulgentia per renunciationem internam eius, cui concessa est. Respondetur negativè, imò nec per externam, nisi hæc acceptata fuerit à concedente: quia, cum totus valor proveniat ab applicatione thesauri facta per habentem claus; non potest per voluntatem alterius hic valor impediri. Poterit quidem eam non lucrari; non tamen potest facere, quòd non maneat potestas eam lucrandi. Dubitatur denique vltimò, an cesset Indulgentia, cessante causa, propter quam concessa fuit, v. g. si concessa fuit Indulgentia pro conuersione ad fidem alicuius prouinciæ, & illa prouincia iam conuersa fuit. Respondetur, si Indulgentia fuit concessa perpetua, & causa erat ab initio sufficiens ad concessionem Indulgentiæ perpetuæ, durare etiam postea: quia causa, & motuum non est perseverantia illius necessitatis, sed necessitas præterita, quæ sufficiebat ad concedendum totum illud pro tempore sequenti. Si autem causa non erat sufficiens ad concessionem perpetuam, Indulgentia non valebit, nisi iuxta proportionem causæ, vt *suprà* dictum est. Quod idem dici debet de Indulgentia non perpetua: vt, si concedatur Iubilæum per duas hebdomadas pro impetranda pace, & prima hebdomada fiat pax, vel etiam antequam concessionis noticia perueniat ad aliquam prouinciã: adhuc enim obtineri poterit Indulgentia, quæ à principio fuit valida propter necessitatem tunc vrgentem, quæ habebat proportionem cum tota illa concessione. Et hæc sufficiant de tota hac materia, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei.

An per mortem concedenti.

An cessante causa, propter quam concessa fuit.

FINIS,

P. Ioan. de Lugo de Penitentia.

DDd INDEX